(2.

IOAN. IAC. CHIFFLETII
PATRICII, CONSVLARIS, ET
ARCHIATRI VESONTINI

VESONTIONIS PARS ALTERA,

DE

ARCHIEPISCOPIS BISONTINIS, ET ALIIS CIVITATIS BISONTINÆ ECCLESIASTICIS REBVS.

PRÆMISIMVS ARCHIEPISCOPORVM nomina, quæ partem hanc poſteriorem capitum loco diſtingunt.

DVLCE ET AMARVM

LVGDVNI,
APVD CLAVDIVM CAYNE,
M. DCXVIII.

NAPOLI

NOMINA ARCHIEPISCOPORVM Sanctæ Veſontionenſis Eccleſiæ.

1	*S.Linus.*	pag.9
	SS. Ferreolus Preſbyter, ac Ferrutius Diaconus Veſontione Martyres.	16
2	*S.Maximinus.*	29
3	*Sanctus Paulinus.*	31
4	*S.Euſebius.*	33
5	*S.Hilarius.*	34
6	*S.Pancharius.*	40
7	*S.Iuſtus.*	42
8	*S.Anianus.*	46
9	*S.Sylueſter I.*	50
10	*S.Frominius.*	53
11	*S.Deſideratus.*	54
12	*S.Germanus Martyr.*	57
13	*S.Antidius Martyr.*	67
14	*S.Leontius.*	96
15	S.*Celidonius.*	98
	Importunus.	116
16	*Germeſillus.*	*ibid.*
17	*Claudius I.*	117
18	*Vrbicus.*	118
19	*Tetradius I.*	119
20	*Sylueſter II.*	*ibid.*
21	*Vitalis I.*	*ibid.*
22	*S.Nicetius.*	120
23	*S.Protadius.*	129
24	*S.Claudius II.*	138
25	*S.Donatus.*	150
26	*S.Migetius.*	162
27	*S.Ternatius.*	165
28	*S.Geruaſius.*	*ibid.*
29	*Felix.*	166
30	*Tetradius II.*	167
31	*Albo.*	169
32	*Vvandelbertus.*	172
33	*Euroldus.*	*ibid.*
34	*Aurulcus.*	173
35	*Herueus.*	*ibid.*
36	*S.Gedeon.*	*ibid.*
37	*Bernuinus.*	175
38	*Amaluuinus.*	178
39	*Arduicus.*	179
40	*Theodoricus I.*	181
41	*Berengarius.*	183
	Ayminus.	184
	Gontherius.	*ibid.*
42	*Gyrfredus.*	*ibid.*
43	*Guido.*	185
44	*Guichardus.*	186
45	*Leutaldus.*	*ibid.*
46	*Hector.*	187

Bertaldus. 187
47 Vvaltherius I. ibid.
48 B.Hugo I. 191
49 Hugo II. 224
50 Hugo III. 228
51 Hugo IV. 235
52 Pontius. 236
53 Guilelmus I. 237
54 Anſericus. 240
55 Humbertus. 241
56 Vvaltherius II. 244
Herbertus. 245
57 Theodoricus II. 249
58 Stephanus. 251
59 Amedeus. 254
60 Ebrardus. 256
61 Girardus I. 257
62 Joannes I. 261
63 Nicolaus. 266
64 Gaufridus. 268
65 Ioannes II. 270
66 Guilelmus II. 271
67 Odo. 280
68 Hugo V. 282
69 Vitalis II. 283
70 Hugo VI. 285
71 Ioannes III. 287
72 Ludouicus. 288
73 Aymo. 289
74 Guilelmus III. 290
75 Girardus II. 291
76 Theobaldus. 292
77 Joannes IV. 294
78 Franciſcus I. 297
79 Joannes V. 299
80 Quintinus. 301
81 Carolus. 302
82 Franciſcus II. 304
83 Antonius I. 306
84 Petrus. 310
85 Claudius III. 313
86 Antonius II. 317
87 Ferdinandus, qui nunc viuit, anno 1618. 322

VESON

VESONTIONIS PARS SECVNDA,

DE

ARCHIEPISCOPIS BISONTINIS, ET ALIIS CIVITATIS BISONtinæ Eccleſiaſticis rebus.

PRÆFATIO.

Quinam hactenùs de hac materiá ſcripſerint, & quâ fide.

HAs antiquitates, rem nouam ſi appellauero, tu me fortè, Lector, παραδόξως loquutum dixeris: & verò audenter dicam, rem nouam aggredior, &

Auia Pieridum peragro loca, nullius antè
Trita ſolo.

Primus, quòd ſciam, *Gilbertus Cognatus*, in ſuâ Burgundiæ ſuperioris deſcriptione, pauca quædam in hoc genere vulgauit, adeò mutila, adeò reſperſa commentis, adeò luce indigna, vt puderet hominis

hæreſeos tincti fuligine meminiſſe, niſi ex illo *Demochares* libro de ſacrificio Miſſæ, ex Demochare alij recentiores, & ipſe quoque Illuſtriſſimus Cardinalis *Baronius*, de Biſontinis Præſulibus, quædam à veritate aliena propoſuiſſent: hinc S. Antidium ſæpe legas primum Epiſcopum Biſontinum, qui fuit decimus tertius; & S. Germanum, ſeptimum, qui duodecimus fuit, & Antidio prior. Quos quidem errores partim ſuſtulit Lud. Goluſius IC. in ſuis rerum Burgundicarum commentariis Gallicè conſcriptis; ſed tamen (maximâ eorum culpâ, qui monumenta ipſi ſubminiſtrarunt) tam multa aut confudit, aut omiſit, vt minimè dubitem, quin hoc noſtrum opus, rerum illarum ſtudioſis nouum planè videatur, & ſi quidem ab aliquo tentatũ ac ſuſceptum, tamẽ à nemine adhuc prout rei dignitas poſtulat, elaboratũ. Luſtrauimus certè non modò omnis generis cuſos codices, ſed & vetuſtiſſimos manu exaratos cõmentarios, inſtrumenta vetera, aliáque monumenta, quę vel in publicis Biſontinis, & Sequanicis archiuis, vel in Bibliothecis inueniri potuerunt, vt tibi breuem hunc tractatum, quaſi tot chartarum ac voluminum epitomem proponeremus. In antiquiſſimis verò, quæ maximè dubia eſſe ſolent, monitum te volumus, iis vſos nos eſſe commentariis, quorum fides nulli ſapienti locum hæſitandi relinquat: nam ex diuerſo Ciuitatis ſæpius immutatæ ſtatu, ex Pontificum, Imperatorum, rerúmque externarum cum domeſticis collatione, aliíſque indiciis intelliges,

quæ

quæ tibi ex eo monumentorum genere de vetuſtiſſimis quibuſque referemus, ea non à recentiorum aliquo ex coniecturis conficta, ſed ab ipſis illorum temporum inſpectoribus conſignata literis, & ad nos vſque fuiſſe deriuata: quorum ideò verba ipſa, etſi nonnumquam impolita,& auribus delicatis abſona plerunque propoſuimus, ne cui veniret in animum vereri,vt vel ipsâ paraphraſi,ac ſententiæ mutatione, aliquid de hiſtoriæ puritate detractũ foret. Eſt etiam quod aduertas, cùm in multis ac perantiquis catalogis, è Biſontinis Archiepiſcopis ij non accenſeantur, qui ob improbam vitam meritò (vt è dyptichis) expuncti ſunt, nos tamen eos omnes non ſolùm qui impij, ſed etiam qui intruſi atque illegitimi, & qui quocunque modo pro Archiepiſcopis, ſiue, vt aiunt, de iure, ſiue de facto ſe geſſerint, enumeraſſe, vt integritati narrationis conſuleremus: quanquam Herbertum intruſum, & aliquot alios pſeudoarchiepiſcopos,diſtincto ab aliis charactere expreſſimus, neque ordinem quem inter cæteros obtinent,arithmeticâ notâ deſignauimus,cùm verè Archiepiſcopi non fuerint; quæ ex indiculo præcedenti,vnico oculorum iactu cognoſces. Habe igitur noſtram hanc Biſontinorum Metropolitanorum chronologiam, adiectis quâ fieri potuit breuitate Biſontinæ Eccleſiæ rebus; & ſi quid oculos noſtros fugit, ſi quid minùs ſplendidè explicatum, æqui boníque conſule.

S. CHRY

S. CHRYSOSTOMVS Sermone 18. ad Populum Antiochenum.

DISCE quid ſit Ciuitatis dignitas, & tunc manifeſtè ſcies, quòd ſi habitatores ipſam non prodiderint, auferre poterit alius nemo Ciuitatis dignitatem: non quòd Metropolis ſit, neque quòd habeat ædificiorum magnificentiam & ornatum; neque quod multas habeat columnas & porticus & deambulationes; neque quod antè alias ciuitates prædicetur; ſed inhabitantium virtus & pietas; hæc eſt dignitas & ornatus & tutela Ciuitatis; Ita vt ſi hoc deſit, omnium ſit viliſſima, licet infinitum ab Imperatore conſequatur honorem.

PRIMVS BISONTINVS Præſul, Sanctus Linus.

INITIO præfandum cuipiam fortaſſe videbitur in eos, qui è Chriſti, aut Apoſtolorum diſcipulis nullum aut vix vllum in Gallias deſtinatum, vnius cuiuſdam auctoris verbulo nixi affirmant; ſed eam diſputationem non fert huiuſce chronici breuitas. Sit hoc dixiſſe ſatis; cùm eiuſmodi rerum certitudo, ex vnâ teſtimoniorum auctoritate æſtimanda ſit, & primos ſuos Paſtores, qui è Chriſti, & Apoſtolorum diſcipulis fuerint, tot producant antiquarum eccleſiarum tabulæ; qui eas falſi arguat, næ ille (quod quàm mitiſſimè dictum ſit) temeritatis notandus videatur. Et verò, ſi prudentis eſt, cùm pugnantes occurrunt ſententiæ, eò demùm propendere, vbi maius ſtet momentum ac pondus, vel ex multitudine, vel ex antiquitate, vel ex probitate atque integritate dicentis: cum ſanè minùs æquum iudicem nemo non dixerit, qui plus eſſe putet in vno ſcriptore neſcio quo, quàm in tot populorum & ciuitatum conſenſu, totque antiquorum ac ſanctorum virorum, qui primi res illas in eccleſiarum tabulas retulerunt teſtimoniis, auctoritatis. Certè, cùm in tantâ re erraſſe, aut malitiæ ſit aut ignorantiæ: vtrius è duobus tot magnos viros, qui in iis eccleſiis floruerunt,

inſimules, non facilè dixeris. Neque enim malæ mētis argui fas eſt, qui vitæ ſanctimoniâ claruerint, neque ignorationis, quos ſua apud poſteros vel prudentia, vel ſacrarum eiuſmodi rerum peritia commendarit. Habe igitur de Lino noſtro certa, habe ſincera, & locorum ac perſonarum definita circumſtantiis, quæ noſtri in nos maiores transfuderunt.

Beatiſſimus Apoſtolorum princeps Petrus, cui tum ex Chriſti amore, tum ex ſummi Eccleſiæ Paſtoris officio, ingens inerat fidei latè propagādæ ſtudium, varios in pleraſque Orbis partes, euangelij præcones deſtinauit; qui dum ſuam cuique aſſignat prouinciam, Lino è 72. Chriſti diſcipulis vni, & aliquot aliis, Galliæ obtigerunt. Is Gallias ingreſſus, ſuum ſtrenuè obire munus, omneſque inſinuandæ in barbarorum animos veræ religionis explorare aditus cœpit. Cumque Veſontionem aduentaret, anno In-
54. carnati Verbi quarto ſuprà quinquageſimum, obuius ei factus eſt, non longè à mœnibus, miles quidam *Onnaſius* nomine, eiuſdem ciuitatis Tribunus, vir opulentus, qui hominis alieni cultum inſolitum in veſtitu demiratus, quiſnam & cuius Dei cultor, inquiſiſſe fertur; cui Linus; *Vnum*, inquit, *& verum Deum colo, qui propitius tibi ſit, cuius filius Ieſus Chriſtus, humanâ propter nos aſſumptâ naturâ, dura quidem & dira à Iudæis pertulit (ab iis quippe poſt innumera tormenta actus eſt in crucem): ſed tamen die poſt mortem tertiâ, præter naturæ leges reuiuiſcens, germanum ſe ſummi Dei filium, ſatis ſuperque omnibus probauit: nunc verò viuit inter cælites,*

lites, Rex ipſe cælitum; viuétque æternum, cum iis, quos ipſi fides in eum pietaſque aggregarit. Arriſit Tribuno hominis vel conſtantia vel ſapientia, & ſubiit mentem, ædibus eum ſuis excipere; non quò ad veram fidem ſigna transferret, ſed explendæ curioſitatis ergò; vt de Nâzareno illo crucifixo, de quo iam quædam pauca ſubauſcultarat, noua & mira doceretur. In *Onnaſij* hoſpitio ita ſe geſſit *Linus*, vt ille viri ſanctitatem ſuſpiciens, fundum ei conceſſerit; in quo *Linus*, qui eò prædicandæ Chriſti reſurrectioni venerat, ædiculam in eiuſdem reſurrectionis, & Virginis Deiparæ, ac S. Stephani Protomartyris honorem excitauit, in eáque Baptiſterium conſtituit; in quo ſacris vndis tingerentur, qui exinde Chriſto nomen darent. Onnaſium in cæteris fidem Chriſti amplexum eſſe tradunt nonnulli codices. Et iam longè plurimi ad veram lucem aſpirabant; cùm ecce quodam die contigit, vt populus Diis ſuis, quos in lapideis columnis erexerat, ſacrificaret: Accurrit Linus, & per turbam, in locum, vbi Diis fiebat, irrumpens; *Deſinite*, inquit, *eiuſmodi numina reuereri, & vni Deo Opt. Max. debitum honorem, fictilibus ſimulachris expendere; quin potiùs me duce germanam fidem amplectimini.* Quorum verborum fulmine, vna è columnis icta ſimulachrum quod ſuſtinebat, ſolo afflicta colliſit. Exacerbauit ſacrificulos hæc iniuria: extemplò ſuperſtitioſam multitudinem, in virum Sanctum exaſperant; vnde commota plebs, & Chriſtianam peroſa fortitudinem, facto impetu,

ſuum Apoſtolum, eiúſque diſcipulos, ciuitate extrudit. At reputans animo Linus, vix poſſe feroces illos animos emolliri, ad B. Petrum reuerſus, perhonorificè ab eo ſuſceptus eſt.

Atque hic ipſe Linus eſſe creditur(& hoc antiqui plerique codices habent) natione Italus, prouinciâ Tuſcus, patriâ Volaterranus: primùm quidem è 72. Chriſti diſcipulis vnus, deinde etiam Petri diſcipulus, eiuſque in Vrbe Coëpiſcopus; qui primus ab illo Romanam cathedram tenuit annis ferè duodecim, ac demùm à Saturnino capite damnatus eſt. Reiectâ ſiquidem eorum ſententiâ, qui cum Linum vllum Petro ſucceſſiſſe negent, non eum anno Veſpaſiani nono, Saturnini Conſularis iuſſu Martyrio coronatum; ſed ſub Nerone, ſtatim à Petro (vt liber apocryphus ſub Damaſi nomine, de Romanis Pontificibus); vel etiam ante ipſum Petrum (vt Metaphraſtes) diem obiiſſe tradunt: eâ, inquam, exploſâ opinione, vt cui omnis propè aduerſetur antiquitas, Baronio teſte; nihil facilius eſt, quàm vt oſtendamus, potuiſſe Linum, anno Chriſti 54 (vt Biſontinæ omnes tabulæ docent) Veſontione verſari. Et quidem Paulus Romæ agens, & ſcribens ſecundam ad Timotheum epiſtolam, *Salutat te*, inquit, *Eubulus, & Pudens, & Linus*. Romæ igitur tunc erat Linus: at eam epiſtolam, datam conſtat, anno Chriſti 59. cùm ſcilicet Veſontione iam Linus reuertiſſet. Teſtatur prætereà Ioannes III. epiſt. ad Epiſcopos Germ. & Galliæ, & conſentiunt noui ac

veteres

veteres chronographi, B. Petrum duos ſibi adſciuiſſe in Romano Epiſcopatu adiutores, Linum in Vrbe, Cletum in ſuburbiis. Hoc verò ſi expendatur quo tempore factum eſt, facilè apparebit, nonniſi poſt annum 54, Lino Veſontione regreſſo, fieri potuiſſe: & ſanè, cùm B. Petro, Coëpiſcopos creandi occaſio fuerit fidelium multitudo; nemo id factum dixerit, cùm primùm ſedem ſuam, Romam tranſtulit (anno ſcilicet Chriſti 45.) ſed cùm poſt multorum annorum labores, ea facta eſt ad Chriſti gregem acceſſio, vt ſolus ipſe curandæ Romanæ Eccleſiæ non eſſet ſatis. Neminem certè ſcriptorem inueni, qui tempus Lini à Petro in Coëpiſcopum aſſumpti adnotarit, vno excepto Onuphrio, qui id factum dicit anno Chriſti 57. quo anno Veſontionem iam reliquerat Linus, qui anno 54. eam ingreſſus, haud longiori, quàm anni vnius ſpatio videtur apud Biſontinos fuiſſe verſatus. Huic verò ſententiæ fauet plurimùm, tum hiſtoria rerum à B. Lino Veſontione geſtarum (quam ex adorandæ vetuſtatis codicibus retulimus) quæ S. Linum Ciuitate pulſum, ad B. Petrum reuertiſſe aſſerit: tum etiam Martyrologia Biſontina, quæ cùm alterius cuiuſquam Lini non meminerint, quàm qui à Petro primus Romanam rexit Eccleſiam; eius tamen feſtum, non 23. Septembris, (vt Martyrologium Romanum) ſed 26. Nouembris notant: quæ fortè dies non eſt obiti à S. Lino Martyrij; ſed aut ipſius aduentus Veſontionem, aut deturbati Idoli, aut primi

apud Biſontinos poſiti Baptiſterij, vel oratorij dedicati. Accedit, quòd acta SS. Petri, & Pauli à Lino Papâ conſcripta, quæ (vt benè notat Baron. anno 69. num.6.) exſtant in bibliothecâ Patrum, aliiſque locis, Manichæorum tincta fuligine; tamen in antiquiſſimis Biſontinis codicibus habentur ſincera, & tanto autore digna: quod argumento ſit, Biſontinos opus illud Lini Papæ (tamquam rem primi ſui Epiſcopi) habuiſſe percarum, ac præcipuo quodam ſtudio conſeruatum, in poſteros transfudiſſe.

Quòd verò attinet ad locum, in quo primas Veſontione ſacras ædes erexit S. Linus, quémque agrum fuiſſe conſtat Onnaſij Tribuni, quidam codices id factum habent *in monte Cælio*, qui nunc *S. Stephani* mons: quæ verba intelligas velim, non de ſummo monte (vbi nunc Eccleſia S. Stephani,) verùm de eo inferiore loco in cliuo montis, vbi Eccleſia S. Ioannis Euangeliſtæ. Hoc pluribus docebimus in Hilario, quinto Epiſcopo, cùm de eccleſiâ,quam Helenæ ſumptibus, in loco prioris à Lino fundatæ, atque à Maximino reſtitutæ excitauit. Vnum hîc attigiſſe ſit ſatis; cùm ad ritus baptiſmatis maximâ opus fuerit aquarum copiâ, ad trinam merſionem,quæ priſcis temporibus (vt ait Clemens canone Apoſtol. 49.) in præcepto fuit, vero certè ſimile non ſit, baptiſterium à Lino in ſummo monte Cœlio conſtitutum, loco arido, & in quo alia hodiéque aqua non ſuppetat, quàm quæ pluente cœlo, per tubos & canales è domorum tectis in

ſubiectas

ſubiectas ciſternas influit: quin eo potiùs loco, *vbi fons aquæ viuæ ab ipſis terræ meatibus euiſcerabatur;* qui eſt hodiernæ S. Ioannis Euangeliſtæ baſilicæ ſitus. Et ſanè, in eâ Eccleſiâ S. Ioannis, multoties dirutâ ac reædificatâ, ſeruatum eſt ad hanc vſque diem baptiſterium; cui ex perpetuâ & conſtanti traditione, à S. Lino nomen eſt, vulgò *fonts Sainct Lin,* in ſacello, quod S. Eugendo poſteà conſecratum eſt, quódque in vetuſtis Eccleſiarum codicibus, *primitiua Capella* paſſim appellatur. Quo in baptiſterio, ſacris vndis elutos conſtat Veſontione paruulos æquè atque adultos, vſque ad tempora *Migetij* Archiepiſcopi Biſontini, qui annis abhinc ampliùs nongentis, in aliis quinque Eccleſiis, ſancti Ioannis Baptiſtæ, Iuſſani Monaſterij, ſancti Mauricij, ſancti Petri, & ſancti Laurentij, baptiſteria conſtituit; quæ, vt propinquiora, faciliùs à Ciuibus, ac ſuburbanis adirentur per totum annum: exceptis tamen hebdomadis Paſchæ, & Pentecoſtes; in quibus, alio loco baptiſmum conferri vetuit, quàm in veteri maioris eccleſiæ S. Ioannis Euangeliſtæ baptiſterio, S*ancti Lini* dicto: quò vel eâ obligatione, locum illum agnoſcerent Biſontini, in quo primi apud eos Chriſti cultores, de B. Lini manu, ſacra myſteria ſuſcepiſſent.

Porrò columnæ illæ Idolij veteris, è quibus vnam deiecit S. Linus, poſitæ erant in ſummo monte Cœlio: & è quatuor, tres adhuc ſtabant anno 1347; quæ anno eodem, die S. Pauli conuerſioni ſacro, magnâ

vento

ventorum vi deiectæ ſunt : ſed cùm è tribus, duæ rurſum eſſent erectæ, earum altera die S. Michaëlis anni 1488, pari ventorum impetu, ſolo proſtrata eſt: quam cùm Ciuitatis Rectores, ſequenti Aprili reſtitui curaſſent; demum anno 1497, die S. Stephani, reſidua vtraque columna, ventis deturbata atque confracta eſt, nec ab eo tempore vnquam refecta. Cæterùm, ſuperſunt hodiéque eodem loco, quatuor columnarum baſes, periſtylia, aliáque fragmenta magnæ molis, quæ prima huius operis parte, tibi ex æneâ tabellâ expreſſimus.

SS. FERREOLVS PRESBYTER, ac Ferrutius Diaconus, Veſontione Martyres.

A Sancto Lino, primo Veſontino Antiſtite, ciuitate eiecto, atque ad Romanam ſedem tranſlato, fidem faciunt peruetuſti codices, curatam à compluribus Apoſtolicis viris apud Biſontinos rem Chriſtianam: ſed illorum res geſtæ, atque etiam nomina, tum vigentis per ea tempora ſuperſtitionis æſtu, tum euerſâ non ſemel ac vaſtatâ ciuitate, planè nobis periere: vſque ad illuſtre martyrium SS. Ferreoli ac Ferrutij, quorum hiſtoriæ ſumma hæc eſt.

B. Polycarpus Smyrnenſis Epiſcopus, S. Ioannis, *diſcipuli quem diligebat Ieſus*, auditor ipſe ac diſcipulus, pro ſuo in Gallicam Eccleſiam ſingulari affectu, Irenæum

næum cò deſtinauit, cum magno Euangelij præconum comitatu. In iis erant *Ferreolus ac Ferrutius*, Athenienſes,fratrum par nobile, quos vt vnico partu editos, ſimúlque pro Chriſto paſſos,ſic vnâ & eadem die Chriſtianis initiatos myſteriis, ſacróque baptiſmate elutos ferunt;vt iis,qui lucem hanc(quæ ſub oculos cadit) ſimul aſpexerant, ſimul Chriſtianæ fidei aurora, & alta ſempiternæ gloriæ dies affulgeret. Hos Irenæus, cùm ad Lugdunenſem Epiſcopatum euectus eſſet; ſiue ex ſpeciali Pontificis delegatione; ſiue,vt quidam volunt,ex ſummi,quo tunc fortè fungebatur, Galliarũ Primatis officio;ſiue etiam ex mero gloriæ Diuinæ propagandæ ſtudio, Veſontionem prædicandi Chriſti ergò delegauit. Qui dum hanc prouinciam feliciſſimè gerunt, & ingentem multitudinem à tenebris ad lucem, à ſeruitute ad libertatem,à viâ,quâ itur ad Orcum,ad optatiſſimam ſemitam indeterminatæ beatitudinis adducunt; eodémque tempore, *Felix*, *Fortunatus*, & *Achilleus*, ab Irenæo quoque miſſi, egregiam apud Valentiam Galliarum, Chriſto operam nauant: contigit vtroſque, tot inter labores, cœleſti viſo recreari, quod in eccleſiæ Biſontinæ libris ſic refertur:

Dum hæc gererentur, contigit Beato Felici, cùm ſe ſopori dediſſet, viſionem vidiſſe; quam ſuis fratribus narrans, dixit. Vidi locum mirabilem (fratres cariſſimi) ſplendore nitentum,diuerſis floribus adornatum, florum & aromatum ſuauitate, miriſque odoribus fragrantem, in quo erat taber-

naculum, auro gemmíſque inſignibus conſtructum: vidi etiam quinque agnos ſine maculâ, mundos, candore ſplendidos, qui in eodem atrio lilia depaſcebant. Dum hanc mirabilem virtutem intuitus eſſem, audiui vocem terribilem, mihi dicentem: Euge, euge, ſerui boni & fideles, quia ſuper pauca fuiſtis fideles, ſuper multa vos conſtituam; intrate in gaudium Domini Dei veſtri: venite Irenæi diſcipuli, ſociate vos cum fratribus veſtris. Factum eſt, dum de hac tam præclarâ viſione Beati Felicis inuicem ſermocinarentur, repleti Spiritu Sancto Fortunatus, & Achilleus dixerunt; Gloria tibi ô Ieſu Chriſte, lumen æternum, ſplendor gloriæ, gloria Angelorum, totius cæli & terræ Domine; qui nos indignos famulos tuos per ſeruum tuum Felicem lætificare dignatus es, & promiſſione tuâ non fraudaſti: nunc ergo Domine, rex Regum, reple nos ſeruos tuos cœleſti conſolatione, vt dignè conſequi paſſionem valeamus; infunde ſuper nos tui muneris gratiam, quos tuum verbum annunciando teſtes tuos eſſe voluiſti: non enim Domine, noſtræ virtutis eſt, inſidiis, iaculiſque peruerſi hoſtis, poſſe reſiſtere, nec tormentorum immanitates ferre, niſi tuâ muniti conualeſcamus protectione.

Hac igitur completâ oratione, ecce quidam è fratribus à Ferreolo & Ferrutio beatiſſimis viris à Biſuntio miſſus, epiſtolam huiuſmodi ſcriptam protulit relegendam. Cariſſimis amicis, & in Chriſto fratribus, Felici, Fortunato, & Achilleo, Ferreolus & Ferrutius in Domino ſalutem. Qui moderanter regit ſæcula, & diſponit totius mundi ſuffragia, ipſe ſeruis ſuis, ad inuitationem ſuæ confeſſionis, arcana ſui pectoris non negauit. Cùm vigilatâ nocte me ſopori dediſſem,

dediſſem, vidi reuolutam cæli paginam, ac quinque coronas miro ſplendore fulgentes, auro gemmiſque inſignibus adornatas, ſidereo fulgore coruſcantes, quæ ſingulis Angelorum manibus deportatæ, ſignum Crucis in medio eorum ſcriptum monſtrabant: quod dum ammirarer, audiui vocem terribilem, mihi dicentem; Venite Irenæi diſcipuli, percipite promiſſum Patris, vobis paratum, vt ſicut vnà feciſtis voluntatem Dei in terris, ita pariter percipiatis regnum promiſſum in cælis. Credo, ſanctiſſimi fratres, quòd nos Dominus ad Martyrij coronam inuitat: confortati igitur vigilemus & oremus, ſpiritu feruentes, ne diabolus veniens furetur theſaurum noſtrum. Acceptis itaque Ferreoli & Ferrutij literis, Felix ſimiliter Sancto Ferreolo ac Ferrutio, quæ viderat, narrauit per epiſtolam: ſicque factum eſt, vt diebus ac noctibus, pſalmis & hymnis, indeſinenter Dominum Ieſum Chriſtum laudarent æternum.

Dum ſic cæleſtis agonotheta, athletas ſuos præmunit, & iucundo ſpectaculo parat, adeſt immanis beſtia *Cornelius*, Romani Dux exercitus, qui Valentiam ingreſſus, cùm Chriſti cultores acerbiſſimis tormentis ſubiiceret, occurrit Veſontione *Claudius* (Præfectum pro Romanis fuiſſe credimus,) & Cornelium adit Valentiæ (alij *Lugduni*; ſed potuit vtroque loco cum illo agere:) *qui cùm vidiſſet, quòd Cornelius Dux, in Sanctos Dei, id eſt Felicem Presbyterum, Fortunatum, & Achilleum Diaconas, à Beato Irenæo illuc directos, rabiem ſuam duriter exercebat, de Ferreolo & Ferrutio ei narrare cœpit, dicens; Sunt huiuſmodi duæ perſonæ in ciuitate veſtrâ, per quos iam medius populus veſter*

ad hanc religionem, conuerſus eſt: & colunt dominum, qui ab hominibus crucifixus eſt: etiam & ancillam veſtram vxorem meam huiuſmodi ſeducentes, Chriſtianam fecerunt: virginibus ſuadent ne nubant: Deorum noſtrorum deſpectio tam grauis eſt, vt nullus eos iam Deos eſſe dicat, iam ſacrificia vel thura, quod eſt placabile Diis noſtris, propter eos nullus offerre præſumat: non ſolùm autem eis ſacrificare prohibent, ſed & malleis eos confringere præſumunt. Quo audito Cornelius ait: ô Inuictiſſimi Dij, vt quid virtutes veſtræ ad nihilum rediguntur, vt iam nullus locus ſit, in quo deſpectio veſtra, per huius Chriſtianitatis titulum non ſubleuetur? & quid, frater Claudi, agimus, ſi Diis patrum noſtrorum non ſuccurrimus? penè omnis terra, ſe Chriſto tradere habet: vt quid tam terribile eſt ſignum illius Chriſti crucifixi, vt ante illud Dij noſtri tabeſcant? ſed nec lex illa Chriſtianorum, aliquando commiſceri poteſt legibus Deorum noſtrorum: nunc igitur accipe literas, & accedens ad locum, huius legis doctores diuerſis pœnis interfice, vt cæteri metum habeant. Claudius reſpondit: quæ dictis iubes, factis comprobabo: & acceptis literis nequiſſimi Cornelij, Biſontienſem repetiit vrbem.

Claudius denique, de iuſſione Cornelij ſollicitus, ſicut erat immaniſſimæ feritatis rabie repletus, de Sanctis Domini facta inquiſitione quid agerent, reperit eos Diuinis operibus inſiſtentes, ſanctæ prædicationi continuè vacantes, fidem Catholicam adaugentes. Erat autem ab vrbe milliario & ſemis, ſpecus ſolitaria, & ſyluarum circumcluſa arboribus, vbi ſanctiſſimi doctores nocturno tēpore remoti à turbâ liberiùs Domino excubabant; diluculo verò reuertentes ad ciuitatem,

tatem, verbum Domini indeſinenter prædicabant: ſed quanquam ſpecus horrentibus vmbris, ante horum aduentum obtenebroſa, ac ſine luce fuerat; lux tanta tamen ipſis præſentibus aſſiſtebat, quòd vltra fulgorem Solis radiabat: nec mirum, ſi locum tenebræ non habebant, vbi duo Soles, orbem terræ illuminantes prælucebant: quos Claudius iubens comprehendi, ac locum, vbi iudicium fieret, diuerſis ornatibus decorari, ipſe pro tribunali ſedens imperat eos adduci; quibus adductis ait: Sacratiſſimorum Principum præcepta ſanxerunt, quòd aut ſacrificaretis Diis, aut diuerſis vos interficiam pœnis, vt cæteri metum habeant: quòd ſi ſacrificare volueritis, ex ærario publico remuneratos vos largiſſimè incolumes abire dimittam, & in conſpectu Principum noſtrorum magnis cumulatos honoribus adſtare faciam. Tunc Ferreolus ac Ferrutius aſpicientes in cælum, ſigno Crucis Dominicæ muniti, dixerunt: ecce nos paratos habes; quod tibi pater tuus diabolus dictauerit, fac; nos autem in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti ſemper ſperamus, & quantumlibet nos diuerſis cruciatibus affligas, ipſum tamen redemptorem ac reparatorem vitæ noſtræ Chriſtum confitentes, ſine fine cum illo erimus: pecunia tua tecum ſit in perditione; nobis autem ſufficit vnum Dominum colere.

Audiens hæc crudeliſſimus Claudius, iuſſit eos ad trocleas extendi, & flagellis cædi: & cùm flagellarentur, nihil dolorum ſentiebant; ſed omnipotens Deus, qui ſemper protegit ſuos, ita Martyres ſuos dignatus eſt cuſtodire, vt quamuis carnali cruciarentur pœnâ, angelico tamen habitu, & virtute mirabili, in vultibus reſplenderent; quod videntes populi mirabantur. Deinde recluſos in carcere, poſt tri-

duum iuſſit ſibi præſentari tyrannus, & ait; ſacrificabitis Diis, annon? Sancti Ferreolus & Ferrutius dixerunt: non ſacrificabimus, nec à bonâ Chriſti confeſſione recedere optamus. Tunc carnifex irâ & furore magno repletus, linguas eis amputari iuſſit; quibus amputatis, illi magis acceperunt organum linguæ ſpirituale ad confortandos fratres, & ad prædicandum verbum Dei: dicebant enim; Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt: beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur: beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum: & ad Claudium conuerſi dicebant; cognoſce, miſer, quia dij tui non poſſunt facere ſine linguis homines loqui, cùm ipſi nec loqui poſſint, nec audire; ſed reſpice in nos, & Baptiſmi ablutione perfundere, & ex toto corde in Chriſtum crede, & indulgentiam mereberis peccatorum obtinere. Tunc Claudius irâ, & magno furore repletus, acutiſſimas ſubulas, triginta vni, & triginta alteri, tam in manibus, quàm in pectoribus, & in pedibus, vel cæteris corporum compagibus, malleis ferreis transfigi iuſſit: & hæc omnia tormenta, tamquam ros ſuauiſſimus, qui de cælo deſcendit, magis eis refrigerium, quàm dolorem præſtabant. Igitur cùm nullum dolorem ſenſiſſent, exquiſitis cunctorum tormentorum ſuppliciis, cùm ſe iam victum cerneret in cunctis, iubet tandem gladio in eos animaduerti, quos præ ſui pudoris magnitudine vltrà non poterat pati: eorum ergo percuſſione, tanta odoris fragrantia emanauit, ac ſi cuncta eò loci thymiamata inferbuiſſent, ſi omne balſamum redoleret, ſi cunctorum genera pigmentorum locus ille portaret: odor namque ille ſuauitatis Dei præſentiam circa ſanctorum corpora adeſſe monſtrabat: ſuauitas paradiſi

diſi obuiam eis veniens, nuntiabat quàm amœnum, quámque ſuauiſſimum habitaculum illis præparabat: tantâ namque iocunditatis gratiâ, támque miri timoris fulgore locus ille à circumſtantibus viſus eſt illuſtrari, vt æſtimaret ſe populus, Deitatis gloriâ obumbrari. Binæ oliuæ, & duo candelabra, ante Dei faciem ſemper lucentia, margaritis, & inæſtimabilibus laureati coronis, conſederunt in cælis; quia armati loricâ fidei, & gladio verbi Dei, fortiter egerunt in terris: quorum corpora Chriſtiani, nocte ſublata, in cryptâ ſepelierunt, vbi orationibus, pſalmis, & hymnis quotidie agentes Deo gratias, habitare ſolebant. Ipſi interceſſores ſint pro nobis ad Dominum; vt ſic in huius ergaſtulo vitæ degentes, noſmetipſos regamus, vt cum eis in æternâ patriâ gaudere valeamus. Facta ſunt hæc circa Sanctos Dei Ferreolum Presbyterum, & Ferrutium Diaconum, ſextodecimo calendas Iulij, regnante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

Hæc ex antiquis codicibus; quibus conſentiunt Martyrologia, cùm Biſontina, tum alia: & ſimilia habet Surius tom. 7. 16. Iunij, & tomo 2. 23. Aprilis, in actis Sanctorum Felicis, Fortunati, & Achillei. Illud verò præterea obſeruandum ex traditione, Sanctos Ferreolum, ac Ferrutium, tam dirè excruciatos fuiſſe, atque etiam capite minutos, eo loco, vbi nunc *ſacellum S. Brigittæ*: cuius ſacelli altare, inſidet columnæ cuidam, ad quam alligati dicuntur Martyres inter varia ſua tormenta: hinc loco illi nomen hæſiſſe putamus *vici Martyrum*, quod corruptè vulgus vocet *la rüe des Martelots.* Neque hoc omitten

omittendum, clauos trabales, ſacris martyrum capitibus impactos, in coronæ ſpeciem: manus etiam clauis perfoſſas; vt conſtitit cùm inuenta ſunt eorum corpora, prout dicemus inferiùs in Aniano. Legimus quoque in nonnullis commentariis, Martyres præciſa capita geſtaſſe ad cryptam vſque, in quâ reperti ſunt, milliario & ſemis à ciuitate: ſed repugnat hæc melior ac certior eorum hiſtoria, in quâ dicuntur Chriſtiani, eorum corpora, nocte ſublata, in eâ cryptâ condidiſſe: illum autem errorem in vulgus ſparſum credimus, ex Martyrum imaginibus, quæ poſt omnem memoriam ſic expreſſæ ſunt, vt trunca corpora, præciſum caput in ſinu præferrent: quod præciſi quidem capitis argumentum fuit, non tamen poſt præciſionem geſtati: quanquam & hoc prodigium ſæpe viſum in Martyribus, vt in S. Germano notabimus.

De tempore verò, quo hæc geſta ſunt, multæ ſunt & diſcrepantes ſententiæ. Nonnulli eos cum Irenæo miſſos in Gallias dicunt à Polycarpo, de conſenſu ac mãdato B. Ioannis Euangeliſtæ, recens è Pathmo Inſulà reuerſi (rediit autem anno Chriſti 98.) Quidam veteres libri, *ſub Aureliano* paſſos dicunt: Alij ſub *M. Aurelio Antonino Philoſopho*, qui Luciũ Verum Imperij ſociũ habuit; ita Gaulterius in Chronologiâ, Latinæ editionis, 2. ſæculo, columnâ ſextâ: At Belleforeſtius in Coſmographiâ, (vt & vetuſtus quidam, quem legi, membraneus codex) *ſub Commodo*: Philippus verò Ferrarius in topogr. Martyrol. Romani,

paſſos

paſſos ait *ſub Seuero.* E quibus opinationibus priores quidem duæ, magnam habent ex temporum rectâ putatione repugnantiam: ſi enim Irenæus(quocum Ferreolus ac Ferrutius ex Aſiâ venêre) in Gallias miſſus eſt, ſuperſtite adhuc Beato Ioanne, cuius obitus contigit anno Chriſti 101; cùm ſub Seuero Martyrij palmam ſit adeptus, centum circiter ex eo tempore vixiſſet annos, quod nemo dixerit. Rurſus, cùm S. Polycarpus, paſſus habeatur anno 169. (*Baron. ibidem,*) nec Imperio potitus ſit Aurelianus ante annum 271; ſi Aureliani perſecutione Martyres effectos dicamus Ferreolum ac Ferrutium, annos expleuerint, ex quo miſſi ſunt, duos minimùm ſupra centum, quod æquè incredibile ſit. Liceat ergo mediâ, ad ſecuritatem, viâ incedere, & de miſſionis quidem tempore, coniicere non obſcuro argumento, Irenæum, Ferreolum, ac Ferrutium, Benignum, Andeolum, Auguſtodunenſes Martyres, Andochium, Tyrſum, ac Felicem, & ſi qui alij dicuntur à B. Polycarpo in Gallias deſtinati; eos, inquam, ex Aſiâ deductos fuiſſe à Polycarpo, anno 167, dum 167.
Romam ad Anicetum Papam venit, atque inde miſſos in Gallias, quaſi pro ſemente, vt creſcerēt atque augerentur in gentem magnam. *Baro. anno 169. nu. 29.*

At horum omnium Martyrij, non vnum idémque tempus fuit: & Irenæum quidem, atque Andeolum conſtat Seueri perſequutione ſublatos: de aliis verò vtut ſit, Biſontinos certè Martyres, paſſos exiſtimo ſub Aurelio; tametſi non ſub M. Aurelio

d Antoni

Antonino Philoſopho (vt tertia ferebat ſententia) qui imperauit ab anno Chriſti 163.ad 182;ſed ſub *M. Aurelio Antonino Baſſiano*,dicto *Caracallâ*, ſeu *Caracallo*, qui Imperator fuit ab anno 213. ad 219. Quòd enim Baſſianus Seueri filius, *Aurelij* quoque nomen vſurparit, conſtat ex nummis, quibus vultos ſuos, circumſcripto *Aurelij Antonini* nomine, exprimi voluit: & illius nominis occaſionem refert Ælius Spartianus in Antonino Getâ: *Septimius Seuerus*, inquit, *quodam tempore, cùm conſuluiſſet ac petiiſſet, vt ſibi indicaretur, quo eſſet ſucceſſore moriturus, in ſomnis vidit Antoninum ſibi ſucceſſurum. Quare ſtatim ad milites proceſſit, & Baſſianum filium maiorem natu, M. Aurelium Antoninum appellauit.* Cur id factum, & quo tempore, dixerat idem Spartianus in Seuero; *Quum iret contra Albinum (*Seuerus*) in itinere apud Viminatium, filium ſuum maiorem Baſſianum, appoſito Aurelij Antonini nomine, Cæſarem appellauit, vt fratrem ſuum Getam, ab ſpe Imperij, quam ille conceperat, ſummoueret.* Illud igitur certum, *Aurelij Antonini* nomen Baſſiano attributum, qui & causâ breuitatis, nunc ſolitariè *Aurelius*, nunc *Antoninus*, modò *Baſſianus*, aliàs *Caracalla*, antiquis dictus eſt. Non potuiſſe autem Biſontinos, aut Valentinos Martyres, ſub Aurelio Antonino Philoſopho torqueri,nec eius copiis præfuiſſe *Cornelium Ducem* (quo in Galliis cum exercitu agente, eos paſſos conſtat) hinc certiſſimè concludi puto, quòd in omnibus, quæ de illis exſtant, monumentis, ab Irenæo iam tum Lugdunenſi Epiſcopo, cui per omnes Gallias res

res Chriſtianæ curæ eſſet, alij Veſontionem, Valentiam alij, deſtinati legantur: at certum eſt, ex Euſebio lib.5. cap.6. & Hieron. de ſcript.eccleſ. Irenæum cùm plures iam annos verſatus eſſet in Galliis, & legatione perfunctus eſſet adhuc presbyter ad Romanum Pontificem pro Martyribus Lugdunenſibus; tamen non ante annum 180. fuiſſe in Lugdunenſi Epiſcopatu, Photino ſubrogatum. Quæ cùm ita habeant, nec niſi multis antè annis (nempe circa annum 169.) Aurelij Antonini Philoſophi exercitus, ob Germanicam expeditionem Gallias obtinuerit, planum eſt; ad eius tempora referri non poſſe præfatorum Martyrum agonem. Ac ne nullo veterum teſtimonio, noſtram hanc ſententiam inniti putes; audi antiquum auctorem anonymum, in actis Sanctorum, Felicis, Fortunati, & Achillei, apud Surium editionis Coloniẽſis 1578. qui vt ibidem rectè notat Surius, viſa narrare potiùs videtur, quã audita: *Igitur eo tempore*, inquit, *Aurelij Principis perſecutionis furore ſæuiente, Dux Cornelius Valentinam ingreditur ciuitatem. Vnde cùm vectandi gratiâ, potentiæ dilatatione ſublimis, arrogantiæ tumore terribilis, populi copiâ circumſeptus procederet, audit Sanctum Felicem, Fortunatum, & Achilleum aſſuetæ deprecationis inuocatione pſallentes: quorum voces audientes, piâ tantæ dulcedinis oblectatione mulcebantur; vt angelicis choris concinentibus, intonare modulatione canoris clariſſima organa crederentur. Locus verò pſalmi hic erat: Omnis terra adoret te Deus, & pſallat tibi, pſalmum dicat nomini tuo, altiſſime, alleluia. Cornelius hæc auditu denun-*

tiante cognoſcens, tam ſtupore attonitus, quàm diræ mentis furore ſuccenſus, ait: Quiſnam ſonus aurium mearum ſecreta percuſſit? nunquid poſt Seueri Principis ſeueram, laudabilémque Lugdunenſium trucidationem, in his locis Chriſtianitatis aliqua indicia remanſerunt, quæ & ſacrilegè numina deſpiciant, & audacter Principum decreta cõtemnãt? Similia habet libellus propriorum officiorum eccleſiæ Arelatenſis, cùm de Sanctis, Felice, Fortunato, & Achilleo. Quæ ſi vera ſunt, fateamur neceſſe eſt, eos neque ſub Aurelio Antonino Philoſopho, neque ſub Commodo, neque ſub Seuero, Martyrij palmam adeptos; ſed ſub *Aurelio* aliquo, qui Seuero poſterior fuerit, & cuius copiæ militares, aliquando verſatæ ſint in Galliis; pro quo in vetuſtis codicibus, affine Aureliani nomen irrepſerit. Is eſt Seueri ipſius filius *M. Aurelius Antoninus Baſſianus Caracalla*, de quo hæc Spartianus in eius vitâ, vbi Getæ necẽ, magnámque illam ab eo editam populi Romani ſtragem enarrauit: *His geſtis Galliam petiit, atque vt primùm in eam venit, Narbonenſem Proconſulem occidit. Cunctis deinde turbatis, qui in Galliâ res regebant, odium tyrannicum meruit; quamuis aliquando fingeret ſe benignum, cùm eſſet naturâ truculentus. Et cùm multa contra homines, & contra iura ciuitatum feciſſet, morbo implicitus, grauiter laborauit.* Quia verò Getæ cædes, & cætera Romanorum laniena, contigit anno Chriſti
214. 214. in eum pariter annum, Caracalli profectionẽ in Gallias, quam ſtatim inde aggreſſus eſt, & Sanctorũ Ferreoli ac Ferrutij Martyrium referendũ putamus.

Vt

Vt ſacra Martyrum corpora, inuenta & tranſlata ſint, dicetur inferiùs ſuis locis. Enimuerò non poſſum te hîc ſub extremum celare, lector, rem apud nos tritam, firmatámque multorum teſtimoniis. Impendente ciuitati clade aliquâ, ſeu peſte, ſeu bello, aut alio publico malo, viſuntur duæ ſplendidiſſimæ faces, quæ ciuitatis mœnia ac propugnacula obambulant magnâ ſpectantium admiratione. Hoc ſigno Diui Biſontinorum tutelares, ſuam opem polliciti creduntur: nec fruſtrà, quod experti ciues; tum aliàs ſæpe, tum maximè anno 1575. (vt priori parte fuſiùs diximus) cùm hæretici facto in ciuitatem impetu, pars armis cæſi, pars in Dubim deiecti, deleti omnes, ni fortè pauculi arreptâ fugâ euasêre.

II.

SANCTVS MAXIMINVS.

S. MAXIMINVS Veſontionem miſſus eſt, & Epiſcopus conſecratus à *Caïo* Papâ (qui ſedit ab anno 284. ad annum 296.) Veterem ædiculam â S.Lino primùm exſtructam, & *S. Stephani* nomine conſecratam, reædificauit: in eáque Clericorum Collegium inſtituit, victurum ad Apoſtolorum normam; cúmque ea eccleſia, vtpote anguſtior, non caperet ingentem eorum, qui Maximini

mini miraculis & prædicatione permoti, Chriſto quotidie nomen dabant, multitudinem;aliam baſilicam in foro ciuitatis iuxta Capitolium conſecrauit in honorem Diui Ioannis Baptiſtæ. *MS.Vet.* Vides, Lector, quantùm mutatus ab illo ciuitatis ſtatus: vbi forum illud, vbi Capitolium? hinc certè vel maximè agnoſcas, harum Biſontinæ Eccleſiæ tabulatum integritatem : quarum vix alius auctor eſſe potuit, quàm qui illâ ipsâ, de quâ ſcripſit,ætate vixerit. Omnibus igitur rectè conſtitutis, & Paulino ſibi ſuffecto, *ad ſecretiorem vitam anhelans, in quodam viridario, ſexto ab vrbe milliario diſtante, eremiticâ vitâ eſt functus: vbi quantùm vitæ ſanctitatis, & prædicationis refulſerit inſtantiâ, non ſufficit enarrare lingua: nam multi Chriſtiani pergebant ad eum in eremo: cœci illuminabantur, & infirmi ſanabantur ab infirmitatibus ſuis.* De ſuo demum ex hac vitâ diſceſſu diuinitus edoctus, Paulinum accerſiri iuſſit;à quo Dominici corporis munitus viatico,migrauit ad Superos (cùm rexiſſet Eccleſiam per annos ſex) anno, vt habent quidam codi-
291. ces, 291. 19. Iunij. Alibi notatum vidi eius obitum, pridie calendas Iunij. Vtut ſit de die eius obitus, quæ propter diuerſitatem ſententiarum incerta eſt; illi ſacra eſt in Eccleſiâ Biſontinâ, ea ipſa lux Maij 29. in quam Maximini Treuirenſis feſtiuitas cadit: à quo tamen diſtinctum fuiſſe conſtat Maximinum Veſontionenſem, quippequi antiquior ſit Treuirẽſi; ſiquidem Maximinus Treuirenſis æqualis fuit Athanaſio, eúmque exulantem excepit Treuiris: & interfuit

interfuit Concilio Agrippinenſi, anno 346. cum Panchario ſexto Biſontinorum Antiſtite. Et denique Maximinus noſter, ſepultus eſt in illâ ſuâ eremo, non longè à ciuitate Biſontinâ (nunc iuxta pagum *Torpot*) quâ in eremo ſacra illi eſt hodiéque ædicula: & ibi ipſius oſſa adhuc eſſe creduntur; cùm cõſtet quidem eo loco condita, de eorum verò releuatione, nulla extet mentio. Ad illud ſacellum, dictâ die Maij nonauigeſimâ, adire ſolet quotannis frequens populus: & podagricos, qui eò deducuntur, Beati Maximini opem experiri ferunt.

III.

SANCTVS PAVLINVS.

S. MAXIMINO ſucceſſit *S. Paulinus* eius diſcipulus: qui dum decimaretur legio Thebana apud Agaunum, ſub Diocletiano & Maximiano Impp. anno Chriſti 297. in Maximini eremum ſeceſſit: vbi cùm deliteſceret, & fame ac laboribus confectus, propè iam ageret animam, mittitur ab Angelo, eius quidam diſcipulus, qui ei quæ ad vitam opus erant miniſtraret. Atque ex eo tempore *conueniebant omnes Chriſtiani ad eum, viri & fœminæ, quia nimiam penuriam Chriſtiani illo tempore ſuſtinebant: nulli enim Chriſtiano licebat, vel poſſidere aliquid, vel aliquam rem, ſeu artem exercere,* 297.

aut

aut aliquod negotium agere, quos B. Paulinus, nec diebus nec noctibus deſerebat. Poſtea reuerſus vixit annos aliquot in ſuorum Sacerdotum contubernio, obiítque
310. circiter annum Domini 310. ſepultus in eccleſiâ S. Stephani ante altare, *vbi multis emicuit virtutibus: dicebat enim quidam religioſus, cælos ſe apertos in die eius ſepulturæ vidiſſe.* MS. Vetus.

Ea verò eccleſia S. Stephani, in qua ſepultus eſt Paulinus, nunc dicitur *Sancti Ioannis*, in quâ neminem ſepeliendi nunc inualuit conſuetudo, haud dubiè Paulino poſterior. Conſtat enim vetuſtiſſimos Chriſtianos ſepultos fuiſſe in ipſis eccleſiis, in quibus cogebantur ſynodi, pſalmi canebantur, & conferebantur ſacramenta: vnde pro eodem accipiebatur *cœmeterij* nomen, & *eccleſiæ*, & perſecutionũ tempore arcebantur Chriſtiani *à cœmeteriis*, hoc eſt, *ab eccleſiis*: Vide Euſebium lib. 6. cap. 13. lib. 7. cap. 11. lib. 9. cap. 2. Poſteà verò pacatis rebus cautum eſt, ne in eccleſiis conderentur humana cadauera: exſtant hac de re decreta in Conciliis, Triburienſi, Bracharenſi, Nannetenſi, Vaſenſi; & id conſuetudinis inductum eſt, vt maior Sanctorum reliquiis exhiberetur reuerentia: nunc verò recens vſu receptum eſt, vt præter leges atque inſtituta Maiorum, paſſim fidelium corpora, intra ipſas eccleſias tumulo mandentur. Quòd ergo quædam eccleſiæ (vt noſtra S. Ioannis) humana cadauera non recipiant, id moris non altiùs repetendum eſt, quàm à medio illo tempore, quo ſedatæ tyrannorum in Chriſtianos perſequutio

quutiones. Paulinus verò, qui primis illis temporibus vixit, haud dubiè in Sancti Ioannis templo ſepultus eſt; cui ſoli tunc erat à Sancto Stephano nomen.

I V.

SANCTVS EVSEBIVS.

S. EVSEBIVS Romanæ eccleſiæ Subdiaconus, Preſbyter ordinatus eſt, & in Biſontinum Epiſcopum conſecratus à *Melchiade* Papâ (qui ſedit annis 311. 312.& 313.) Veſontionem ingreſſus, ſalutifera Diuini verbi præcepta, ſtolidis paganorum cordibus tradidit, feráſque eorum mentes, tetrâ ignorantiæ caligine cœcatas, Euangelij lumine illuſtrauit. Omnem ferè in eâ habitantem populum, modico duorum annorum & ſemis, quo ſedit, ſpatio, ad Chriſti fidem adduxit. Conſtruxit *ædem ſacram S. Petro Apoſtolo*, tunc in ſuburbio, nunc in centro ciuitatis: in quâ poſt obitum (qui contigit circa annum 313.) ſepeliri voluit. 313.

In eâ S. Petri baſilicâ, poſt omnem memoriam celebrari ſolita eſt quotannis, poſtridie Paſchatis, Miſſa, quam *trium Euangeliorum* vocant: cuius ritus ſatis inuſitati ignoratur inſtitutio.

V.

SANCTVS HILARIVS.

SVBLATO Biſontinorum Paſtore Euſebio, adeóque lupis, vel eo nomine audaciùs in tenerum Chriſti ouile graſſantibus, perlatum eſt ad *Syluestrum* primum, vniuerſi fidelium gregis Antiſtitem (qui ſedem Ro-
314. manam tenuit ab anno 314. ad 336.) afflictam rem Chriſtianam apud Biſontinos; vix paucos ſupereſſe, quos Chriſtum non puderēt profiteri; quare, ſi Deo Domino parta ſeruare, ſi augere vellet, maturè ei eccleſiæ hominem præficeret, cuius ſolertiâ, & reduci oues diſſipatæ, & aliæ de nouo ad Chriſti caulas ac paſcua traduci poſſent. Annuit Sylueſter, & *Hilario* Romanæ eccleſiæ Diacono, viro forti ac ſtrenuo, eas partes demandat.

Sub S. Hilarij verò Præſulatu, vetuſti libri lectionum eccleſiaſticarum S. Ioannis, & S. Stephani, 17. Iulij, & alij, qui de Hilario, æquè omnes affirmant, *Beatam Helenam* Conſtantini ter maximi parentem, Veſontione iter habuiſſe: cúmque ibi ædiculam Protomartyri Stephano à S. Lino primùm extructã, ac deinde â S. Maximino reædificatam inuiſiſſet, multáque cum Hilario de diuinis rebus colloquuta eſſet,

eſſet; ingentem pecuniæ vim, ad auguſtioris, atque amplioris baſilicæ ædificium contuliſſe: ad extremum pollicitam, ſi quid ex Protomartyris reliquiis nanciſci vſpiam poſſet, id ſe miſſuram Veſontionẽ, acceptâ Epiſcopi benedictione receſſiſſe. Sed quòd nonnulli è citatis codicibus, hunc Helenæ tranſitum referunt in illud tempus, quo Conſtantinus expeditionem aduersùs Maxentium adornabat; non quadrat hoc cum eo, quod ex vetuſtis membranis retulimus, *Hilarium*, quocum *Helena* ſermonem habuit, à *Syluestro* Pontifice præfectum fuiſſe eccleſiæ Biſontinæ: non enim ante annum 314. ſedit Sylueſter; profligatus eſt autem à Conſtantino Maxentius, 312. Id verò contigiſſe exiſtimauerim vel anno 320. cùm ageret in Galliis Conſtantinus, vt probat 320.
Baron. eodem anno: vel certè poſt Conſtantini Baptiſmum, qui Romæ celebratus eſt anno 324. cùm 324.
omnis abiiſſet paganæ ſæuitiæ timor, multúmque ad rem Chriſtianam acceſſiſſet auctoritatis.

Interim eccleſia magni ornatus & ſtructuræ (verba ſunt antiqui codicis) *in honorẽ S. Protomartyris Stephani ædificatur: videlicet eo loco, vbi fons aquæ viuæ, per aquæductum veniens in ciuitatem, ab ipſis terræ meatibus euiſceratur*; nimirum ad radices montis Cœlij, vbi nunc eccleſia, quæ mutato poſteà (vt infrà dicemus) nomine, *à S. Ioanne* appellata eſt: fons enim ille gelidæ perennitatis (cuius caput quarto circiter à ciuitate milliari, iuxta pagum vulgò *Arcie*) per aquæductum opere Romano, cuius plurima ſuper-

ſunt veſtigia, rupem inciſam (quæ nunc porta ciuitatis)præterfluẽs;montis Cœlij, ſeu Stephanij quando ſuperare non poterat verticem , lambebat radices, ac prope eum ipſum locum, vbi nunc eccleſia *S.Ioannis*, laxabatur in varios ciuium vſus.Eorúmq; ductuum reliquiæ, iuxta baſilicam S. Ioannis, tum anno 1324. nonis Auguſti, tempore Vitalis II. Archiepiſcopi; tum etiam nuper in vicinis ædibus inter fodiendum repertæ ſunt.

Et certè S. Linum, primum Biſontinorum Epiſcopum, atque inde Petri ſucceſſorem,eo loco, vbi nunc eccleſia S.Ioannis,ſacram ædem, primam omnium quas Veſontio viderit, excitaſſe, quæ deinde à B. Maximino reſtituta, atque Helenæ magnificẽtiâ longè facta ſit illuſtrior; quæque primùm quidem *S.Stephani*, tum *S.Ioannis* ſimul & *S.Stephani* nomen acceperit, ac demùm (ad diſtinctionem alterius baſilicæ, quæ poſteà in ſuperiori parte montis, S. Stephano dedicata eſt)ab vno *S. Ioanne* cognominata ſit; tum ſuprà in Lino probauimus, tum verò ita perſuaſum ſemper fuiſſe Maioribus noſtris, ex eo vel maximè patet, quòd S. Ioannis baſilicam,*matrem eccleſiam* nunquam non appellent. Id ſexcenties reperias in vetuſtiſſimis rituũ & ſacrarum lectionũ codicibus. Et ſanè in S.Ioannis, vt quæ ſit mater eccleſia, & caput cæterarum , inaugurati ſunt poſt omnem memoriam Biſontini Archipræſules, Epiſcopi ſuffraganei, & totius diœceſeos Abbates atque Abbatiſſæ: in eâ recepti Imperatores, & Apoſtolicæ

ſedis

ſedis Legati; celebratæ Synodi; Chriſma conſecratum; definitæ Eccleſiaſticæ cauſæ. Accedit quòd ei ſemper adiacuit Archiepiſcopium, iuxta veterem, & vſu receptam Eccleſiæ conſuetudinem, *de Epiſcopalibus ædibus propè matrem eccleſiam conſtituẽdis*. Deinde, vt ex antiquis ceremoniarum libris perſpicuum eſt, quoties ad officia aliqua diuina, ſupplicationes, aut alias celebritates, conueniebat Biſontinus Clerus; honoratior ſemper locus, ac potiſſimæ cedebát partes S. Ioannis Canonicis, Stephanienſibus ſecundæ. Cúmque hi (vt eſt appetens præcellentiæ cuiuſdam humanum ingenium) vel opibus eccleſiæ ſuæ, vel ſplendore ducti, inferiorem eccleſiam S. Ioannis, vt oculo, ſic animo deſpicerent, eámque deturbare ſatagerent de maternitatis dignitate, pertracta eſt diutiſſimè ea controuerſia, modò coram Archiepiſcopis, nunc coram Cæſarum ac Summorum Pontificum tribunalibus: & ſemper Canonicis S. Ioannis adiudicata cauſa: primùm quidem à Guidone Viennenſi in Synodo Trenortiana; deinde ab eodẽ Guidone, tum Calixto ſecundo, in Lateranenſi quingentorum Patrum Concilio: cuius decretum innouarunt, Eugenius III. Adrianus IV. Honorius III. aliíque vel Pontifices Romani, vel Imperatores, vel Archiepiſcopi Biſontini: donec ſub Gulielmo II. anno 1253. ab Hugone tt. S. Sabinæ preſbytero Cardinali, & Apoſtolicæ ſedis Legato, vtriuſque eccleſiæ Canonici, ne de ſuis iuribus vlteriùs contenderent, in vnius Capituli corpus vniti

c 3 ſunt.

ſunt: de quibus omnibus agemus ſuis locis.

Sed ad Hilarium redeamus. *Helena verò (* pergit citatus codex, cui concinunt alij omnes) *cum magno exercitu Hieroſolymam perrexit: ibique Dei adiutorio lignum ſanctæ Crucis inuenit*: (id factum anno proximè
326. ſequenti poſt Nicænum Concilium, & ſecundùm Baronium anno 326. *) quâ inuentione celebratâ, Hieroſolymitanum Epiſcopum S. Macarium adiit, magnis precibus depoſcens, vt ſi apud ſe aliquæ eiuſdem Protomartyris eſſent reliquiæ, dignaretur ſibi aliquid earum concedere, non immemor horum quæ promiſerat Deo & S. Stephano. Cuius ſupplicationi annuens Patriarcha Macarius, obtulit cum Dalmaticâ partem ſanguinis S. Stephani Protomartyris. Sicque repedauit Romam quamcitiùs; vbi tunc temporis ſe agebat in ſceptris filius eius Conſtantinus: mittens inde Sancto Hilario Veſuntium, pretioſiſſimum quod ſecum detulerat pignus reliquiarum. Inſuper præparat Romæ claſſem, quæ deducta per mare euaſit Arelatum; inde emenſo Rhodani fluminis aſcenſu, ingreſſa Ararim, peruenit ad aquam, cuius nomen eſt Dubius, quæ eſt decurrens iuxtà Vrbem Veſontienſium; in quam paululùm ab Arari emerſa, cùm aſcendendo laboraret, eſt diſſoluta compagibus (ignotum quâ occaſione & caſu:) ſicque onus nauis in fluminis gurgitem non comparuit merſum: erat enim onuſta marmore, & ære, & diuerſi generis materie, quæ erat neceſſaria conſtruendæ eccleſiæ: ſed & Beata Helena ad hoc reparandum, longum non habuit vitæ terminum, ſtatim vtique in Domino quieuit fine beato.* Illi in Sanctarum canonem relatæ celebris eſt dies Auguſti decimaoctaua. Ex eo verò marmo

marmore, quod ornandis Veſontinis baſilicis miſerat; quódque hauſtum eſt aquis Dubij; ſupereſſe variis in locis permultas columnas, vulgus credit: at hæc ex coniecturâ.

Cæterùm latuerunt iſta Cardinalem Baronium, cùm in ſuis ad Martyrologium Romanum notis 5. Auguſti, & in Annalibus, anno 416. num.16. ſcriptū reliquit, ante annum 415. quo repertum S. Stephani corpus, nullas vnquam inOccidente viſas eius reliquias, excepto vnico è lapidibus, quibus percuſſus eſt, quem nauta quidam Anconam Italiæ ciuitatem ad mare Adriaticum ſitam detulerat. Certè, quiſquis ille fuit ſanguis Protomartyris ab Helenâ miſſus, in Veſontinis lipſanothecis diſtingui nō poteſt, quod ſciam, ab eo qui ſub Celidonio Epiſcopo (de quo poſteà) è brachio S. Stephani manauit. Hoc quidem certum, partem Dalmaticæ S. Stephani, à Bernuino Archiepiſcopo Biſontino, qui Caroli Magni ætate floruit, in maiori altari eccleſiæ S. Ioannis, quam flammis exuſtam reædificarat, collocatam fuiſſe, neque vnquam ex eo tempore inde eductam puto.

Porrò *Macarium*, à quo Helena eas reliquias accepit, notat Euſebius in Chronico, creatum fuiſſe Hieroſolymitanum Epiſcopum poſt *Hermonem*, anno ſeptimo Conſtantini (qui eſt Chriſti 312. ex Baronio.) Ad eum verò Helenam Conſtantini filij ſui epiſtolam de templo Dei exſtruendo, Hieroſolymā detuliſſe ſcribit Theodoretus lib. 1. hiſt. cap. 18. Addit

Ruffinus

Ruffinus lib.1. c.17. illum repertam ab Helenâ Chriſti Crucem, à latronum crucibus, impetrato miraculo diſtinxiſſe. Et ipſe etiam cenſetur inter ſanctos in Martyrologio, ad decimam diem Martij. De noſtro autem Hilario eſt quod obſerues, eum præter Auguſtam baſilicam, quam Helenæ ſumptibus, in imo monte Cœlio exſtruxit, atque ad ſummitatem perduxit (quæ nunc dicitur *S. Ioannis*,) aliam præterea in ſuperiori parte montis (quæ ſola *S.Stephani* nomen retinuit) cœpiſſe excitare: ſed pium hominis conſilium, inexorabilis fati neceſſitas abrupit; dum exceſſit ex hac ad ſplendidiorem beatarum mentiũ lucem, vndecimo calendas Auguſti; &, vt quidem
330. exiſtimo, circa annum Chriſti 330. Inſtante obitu, cœleſti viſo Chriſti Seruatoris, qui prægustandas illi æternas voluptates dederit, recreatus legitur.

V I.

SANCTVS PANCHARIVS.

SANCTVS Pancharius, (qui & *Pancratius*) Hilarij deceſſoris ſui diſcipulus, ei defuncto ſubrogatus eſt, & à *Iulio Primo* Pontifice (qui ſedit ab anno 337. ad 352.) Epiſco-
346. pus conſecratus. Synodo Agrippinenſi anno 346. ſub eodem Iulio celebratæ conſenſit per Legatum. Baſilicæ ab Hilario in ſuperiori parte montis Cœlij in S.Ste

in S.Sephani honorem inchoatæ ædificium promouit: & iam opus affectum vrgebat; cùm in fidei Catholicæ profeſſores furente, ac latè graſſante Conſtantio, ciuitate ceſſit, ſeceſſitque in eremum cum ſociis aliquot. Eam Conſtantij perſecutionem fusè deſcribit Athanaſius epiſtolâ ad ſolitariam vitam agentes: *Cæterùm*, inquit, *cùm eſſet Arelate & Mediolani Conſtantius, omnia pro hæreticorum hortatu ſuggeſtionéque faciebat: vel potiùs illi ipſi agebant, Cæſaris poteſtate ſuccincti*. Et mox: *Notarij præſtò in ſingulis vrbibus, & Palatini minas ſecum ad Epiſcopos & Iudices deferentes, vt iſti quidem de causâ iudicarent, illi verò contra Athanaſium ſcriberent; vt aut communionem cum Arianis haberent, aut pœnam exilij ſuſtinerent*. Ac paulò pòſt: *Quot igitur Epiſcopi (prout in ſacris literis eſt) ad Præſides & Reges abducti ſunt, & à Iudicibus hanc ſententiam audierunt; aut ſubſcribite, aut ab eccleſiis recedite: detrahi enim vos ab eccleſiis Imperator iuſſit; quot in ſingulis vrbibus palabundi ſeſe ſparſerunt, ne vt Epiſcoporum amici accuſarentur. Nam & Magiſtratibus ſcriptum eſt, & mulcta pecuniarum denunciata, niſi quiſque ſuæ ciuitatis Epiſcopum ſubſcribere coëgiſſet*. In his igitur fortibus, & excelſi animi Epiſcopis, qui aquâ & igni carere priùs elegerunt, quàm Arianæ demētiæ patrocinari, fuit *S.Pācratius Biſontinus*, qui in ſolitudinis horrore, ad quam ſe receperat, aſperitati victus, & cœleſtium rerum contemplationi deditus, cùm in hominibus leprâ horridis (quibus ſe vltrò adiunxerat) omni obſequio iuuandis, quotidianam operam poneret, vitam aliquādiu

traxiſſe dicitur. Cùm autem illa Conſtantij Ariani
355. Imperatoris perſecutio, anno Chriſti maximè 355.
toto orbe Catholico, ac nominatim in Galliis vi-
guerit; eo quoque anno exulaſſe crediderim Pan-
charium, paulóque poſt (nempe circiter annum
356. 356.) ex eo exilio ad ſupernam patriam euocatum.

VII.

SANCTVS IVSTVS.

SVFFICITVR Panchario *S. Iuſtus*, qui ma-
trem Eccleſiam S. Stephani, primùm à S.
Lino in imo monte Cœlio conſtitutam,
tum reſtitutam à Maximino, denique ab
Hilario Helenæ magnificentiâ longè illuſtriorem
factam, in honorem S. Ioannis Euangeliſtæ, & S.
Stephani dedicauit. *MS. Vetera.* Attendit ſcilicet, B.
Ioannis maxima eſſe in eam eccleſiam merita: cuius
agrum, ipſius diſcipulorum diſcipuli *Ferreolus* ac
Ferrutius, proprio cruore aſperſiſſent: parari deinde
vni Protomartyri conſecrandam baſilicam; cui vel
eo nomine non diſpliceret, quòd illo non abiecto,
alius prætereà matri eccleſiæ patronus adſciſcere-
tur. Hinc ſuperius Cœlij montis Dominicum (quod
à Frominio decimo Epiſcopo perfectum eſt) *S. Ste-
phanus* à Maioribus dictum; inferius autem, & cæ-
terorum caput, *S. Ioannes* ſimul & *S. Stephanus*; im-
mò com

mò compendij cauſâ & diſtinctionis, *S. Ioannes* nudè appellatum eſt, ad hæc vſque tempora. Iuſtus verò inſtante Iuliani deſertoris ſæuitiâ; ceſſit furori, & ab *Euſebio Martyre, Vercellenſi Epiſcopo*, apud Pedemontanos honorificè ſuſceptus, egit cum illo familiariſſimè: ac tamdiu Vercellis latuit, donec ſedatâ tempeſtate, ad ſuam reuerſus Chryſopolim, atque optimi Præſulis expleto munere, fatis conceſſit. Illud verò mirum contigit, cùm extremum ſpiritum exhalaret; viſum aperiri cælum, eiúſque beata mens, albicantis columbæ ſpecie, ex ore ipſius ſurſùm euolare. *Hæc ex antiquis tabulis.*

Sex porrò annos verſatum eſſe in Galliis cum exercitu Iulianum, teſtantur rerum æuo illo geſtarum ſcriptores; nempe anno Chriſti 355, 8. Idus Nouembris, Cæſar creatus à Conſtantio Imperatore, & Gallicis prouinciis præfectus; calendis Decembris Mediolano profectus in Gallias, ibi hàc illàc excurrendo, ac domandis Alemannis, aliiſque Romanæ Reipublicæ hoſtibus, tamdiu egit, donec anno 361, Conſtantinopolim mouit aduersùs Conſtantium, redacturus illum in ordinem, aut etiam vitam ei adempturus; ni mors Conſtantium inſperata præripuiſſet. Gemini verò tranſitus Iuliani per Veſontionem, meminit Ammianus Marcellinus eius miles, & ſocius itinerum: priorem notat lib. 16. initio: poſteriorem libro vigeſimo, non longè à fine. Et prior quidem contigit anno 356, vt prima huius operis parte notauimus: poſterior autem anno 360, ali-
355.
356.
360.

quot menſibus, ex quo Iulianus ab exercitu acclamatus eſt Imperator: cùm profligatis Arthuariis reuertens, *per Beſantionem Viennam hiematurus abſceſſit.* At neutro tempore vexatos à Iuliano Biſontinos Chriſtianos, aut Iuſtum eorum Antiſtitem, ex eo vel maximè conſtat, quòd quamdiu in Galliis egit, diſſimulatâ impietate, Chriſti cultores non modò non malè habuit, ſed & amare viſus, ipſos Epiſcopos plurimis officiis demeritus eſt; atque vt ſcribit Eunapius in vitis Philoſophorum, ἅπαςαν (γαλατίαν) ἐκ τῶν θεῶν προνοίας, ἀνώσεγκεν, πάντας μὲν λανθάνων ὅτι θεραπεύοι θεούς: *Omnem Galliam ex Deorum beneficio ſubegit, ab omnibus ignoratus, quòd deorum cultui addictus eſſet.* Nec audiendus Zoſimus, qui libro tertio, eum aſſerit in Galliis palam vanis numinibus litare ſolitum, atque Chriſtianos ad id ſuperſtitionis adigere; cùm ipſe Ammianus libro 21. initio, referat eum, *vt omnes nullo impediente ad ſui fauorem illiceret, adhærere cultui Chriſtiano finxiſſe, à quo iampridem occultè deſciuerat*: eámque ob rem, cùm Viennæ verſare-
361. tur menſe Ianuario (anni 361,) iamiámque in Illyricum, & inde Conſtantinopolim eſſet profecturus (vnde nunquam in Gallias rediit) adhuc tamen Epiphaniæ feſtum, aditâ eccleſiâ Chriſtiano ritu, & ſolemniter, numine orato colere videri voluiſſe. Cœpiſſe autem eodē anno 361, in Illyrico, ſe Idolorum cultorem palam profiteri, ipſemet teſtatur, epiſtolâ inde ad Maximum Philoſophum datâ, vbi hæc habet: Θρησκεύομεν τοὺς θεοὺς ἀναφανδὸν, καὶ, τὸ πλῆθος τοῦ συγ-

κατελ

κατελθόντος μοι στρατιωτικὸν θεοσεβές ἐστιν, ἡμεῖς φανερῶς βουθυτοῦμεν: *Deos publicè, & palam colimus, & totus meus exercitus pietatem amat: nos apertè boues immolamus*,&c. Idipſum indicat Ammianus ſub initium libri 22. cui immeritò Baronius(anno 361. num. 6.)illud affinxit, quòd dixerit Iulianum, non ante quàm Conſtantinopolim perueniret(peruenit autem tertio idus Decembres eiuſdem anni 361.) publicè Deos coluiſſe. Etſi enim Ammianus priùs narrat, quî Iulianus Cõſtantinopoli exceptus ſit; non tamen dicit, eum ad id vſque tempus à publicâ ſuperſtitione abſtinuiſſe: ſed tantùm eò vſque, *vbi abolitis,quæ verebatur, adeſſe ſibi liberum tempus faciundi,quæ vellet,aduertit:* nempe in Illyrico, cùm apertè ſe pro Conſtantij hoſte gereret; à quo vt ſtare videretur, couſque ſe à Chriſtianis ſacris finxerat non abhorrere.

Iuliani autem abſentis furorem, per *Salluſtium* in Galliis Præfectum, vt ipſi Iuliano amiciſſimum, ſic nominis Chriſtiani acerrimum hoſtem, graſſatum eſſe, ac Martyres etiam effeciſſe, *Eliphium* virum Tullenſem, eius fratrem *Eucharium* Epiſcopum, & ſorores *Libariam* atque *Suſannam*, autumàt Baronius (anno 362. num.256.) hocque in eorum actis per Rupertum Tuitienſem Abbatem conſcriptis, putat emendandum, quòd paſſi dicantur, dum Iulianus cum exercitu in Galliis moraretur: cùm eo tempore Iulianum conſtet non modò non ſubiéciſſe tormẽtis Chriſtianos; ſed iis palam fauiſſe, atque etiam videri voluiſſe Chriſtianum. Vtut ſit de iſtis, Iuſti 362.

 certè

certè noſtri fugam idcircò putamus referendam in
362. annum 362, Iuliani Imperantis ſecundum, non autem in præcedentes, quibus Gallias cum militaribus copiis obtinebat ; quòd Iuſtum perſequentium inſidias declinantem, in omnibus noſtris monumẽtis legamus, ad *Euſebium Vercellenſem* apud Pedemontanos diuertiſſe : conſtétque Euſebium, ſtatim à Concilio Mediolanenſi, anno 355. cùm aduersùs Athanaſium ſubſcribere recuſaſſet, agentibus Arianis, iuſſu Conſtantij Imperatoris exulem in Orientem ablegatum, neque inde reuerſum, ante prænotatum annum 362: cùm, vt ait Hieron. aduersùs Luciferianos, *ad eius reditum lugubres veſtes Italia mutauit, ac totus penè exhilaratus eſt Catholicus orbis.*

VIII.

SANCTVS ANIANVS.

IVSTO ad præmia iuſtorum euocato, in Anianum, virum vel ſacrarum literarũ peritiâ, vel admirandâ quadã dicendi vi, vel vitæ ſanctitudine ſpectatiſſimũ, ſuffragia Ordinum omniũ votáq; conſenſerunt. Quo ſedente contigit, vt magno Reipublicæ bono, Sanctorum Ferreoli Preſbyteri, ac Ferrutij Diaconi, qui Veſontione pro Chriſti nomine mortem oppetierãt, ſacra corpora, olim in cryptâ, milliario & ſemis à ciuitate

tate condita, & iampridem latentia, tum cùm minimè quærerentur, militum quidam Tribunus (qui ex illuſtri Achæorum gente fuiſſe traditur) inter venandum reperiret. Rei geſtæ hiſtoriam habe ex vetuſtis eccleſiarum codicibus.

Cùm Beatus Anianus, in Biſunticâ ciuitate, Epiſcopali fungeretur officio, Tribunus quidam militum, qui ad cuſtodiam ciuitatis fuerat deſtinatus, venandi ſtudio, milliarij ac ſemis ferè ſpatio, ab vrbe eſt progreſſus; cúmque repertam vulpem à canibus ſequeretur, in antiquam monumenti Martyrum foueam caſu vulpes fugit: ſed Tribunus dum pertinaciter inſiſtit, militibus foſſorium afferri iuſſit: hæc dum per foueam inquiritur, latens ædes, vbi Sanctorum Martyrum corpora requieſcebant, reperitur. Nuncius itaque ſtatim Beato Aniano deſtinatur: at ille feſtinus occurrit, quia iam hoc opinione vulgi anteà audierat; & quoniam Spiritus Sancti gratiâ afflatus erat, Diuinitatis eum in huiuſmodi miſerationibus pietas non latebat. Martyrum ergo ſepultura eius iuſſu detegitur, ſtatimque Sanctorum corpora in monumento reperiuntur. Sanctorum igitur Martyrum corpora, ſuæ paſſionis, virtutiſque mirificæ, in ſemetipſis monſtrauerunt inſignia: nam eorum capitibus trabales claui malleis ferreis impulſi, affixi inuenti ſunt; palmæ verò, Dominicæ Paſſionis ſignum aperiunt, quia ſe perforatas clauis oſtendunt. Et quanquam abſciſſionem capitum egregij Martyres excepiſſent, ordo tamen clauorum in eorum capitibus quaſi coronam agebat, quæ totius compagem orbis poſſidebat. In cæteris vndique membrorum iuncturis, inuentæ ſunt ſubulæ, compactæ malleis. Hæc ſunt quidem paſſionis Sanctorum inſignia;

inſignia, in quibus Diuinæ remunerationis monſtrantur & merita: claui namque diuerſis infirmitatibus medelam multis præſtãt temporibus: ſubulæ quoque omni auro pretioſiores, omníque margaritarum decore decentiores, vim totius medelæ credentibus exhibebant.

Beatus itaque Anianus Archiepiſcopus, Tribunus quoque cum militibus, ad ciuitatem redeunt cum triumpho & exuuiis, maximis præſidiis corpora Sanctorum ad matrem eccleſiam S. Ioannis Euangeliſtæ, ſummâ cum reuerentiâ deferunt: quibus ipſa ciuitas ab oppugnatione barbaricâ defenditur, & à ſuperſtitione Gentili abſoluitur; vbi virtutibus innoteſcunt, dum dignanter orantium vota ſuſcipiunt, infirmitates quoque ac languores depellunt, immundos ſpiritus effugant, libertatem captiuis corporibus præſtant. Interim verò à Beatiſſimo præfato Aniano, in loco ſepulturæ ædificatur eccleſia; Sanctorum corpora ibidem denuò cum aromatibus ſepeliuntur; Conuentus fratrum ad Dominum ſeruiendum in Sanctorum veneratione Martyrum conſtituitur; claui verò ab eorum capitibus per Sanctorum manus Sacerdotum ſublati retinentur, per quos ſæpe infirmitatibus diuerſis hominum medela impertitur.

Beatorum igitur Martyrum Ferreoli Presbyteri & Ferrutij Diaconi, Chriſto annuente, nonis Septembris inuentionem celebramus, vt quoniã eorum victoriæ recenſentur in cælis ab Angelis, laus Ieſu Chriſti ac Redemptoris noſtri, qui ſemper triumphat in Sanctis, de ore & mente hominum nunquam recedat in terris. Sed quoniam hæc à ſanctiſſimo Patre noſtro Aniano Archiepiſcopo cognouimus, ciúſque vitam ineſtimabilem non ſeriatim ſed tranſeundo tetigimus, dignum

gnum eſt, vt pro noſtræ fragilitatis modulo, eius beatiſſimum finem proferamus. Peractis namque nonnullorum annorum curriculis, poſt ſanctorum corporum inuentionem, eadem die eiuſdem inuentionis, ſicut interiorem hominem ſeruauerat immaculatum, ita ipſis deferentibus Martyribus, quibus deuotè ſeruierat, tranſiuit ad Dominum.

In Martyrologiis Biſontinis, nonis Septembr. notatur *Inuentio SS. Martyrum Ferreoli & Ferrutij*: ac eâdem die, *Depoſitio S. Aniani, qui eorũ corpora tranſtulit ad Eccleſiam S. Ioannis.* Ea autem reperta *Valentiniano* & *Valente* Imperantibus, antiquæ complures tabulæ teſtantur (etſi malè quidam codices, ſub *Iuliano,*) quæ & S. Anianum obiiſſe notant, circa annum ſalutis 374. Quia verò Martyres plurimis ex eo tempore miraculis claruiſſe refert ea, quam deſcripſimus hiſtoria, placet vnum hîc reddere ex Gregorio Turonenſi libro primo de gloria Martyrum cap. 71. 374.

Viſonticorum quoque ciuitas propriis illuſtrata Martyribus, plerumque miraculis præſentibus gaudet. Huic in abdito cryptæ, duo, vt paſſio declarat, Martyres Ferreolus & Ferrutius ſunt ſepulti. Factum eſt autem quodam tempore, vt vir ſororis meæ, inualeſcente febre grauiter ægrotaret; cúmque iam quarti menſis ſpatio, lectulo anhelus occumberet, vt nihil aliud coniux mœſta, niſi quæ ſepulturæ erant, cogitaret; Sanctorum baſilicam flens ac triſtis expetiit, prouolutáque coram ſepulchris, palmis ac facie rigente opprimit pauimentum. Accidit autem fortuitu, vt extenſâ dexteræ manus palmâ, folium herbæ Saluiæ, quod pro honore Martyrum in cryptâ conſperſum fuerat, operiret. Poſtquam autem fuſâ

oratione cum lacrymis, ſurrexit à tumulis, putans aliquid de linteaminibus, quibus induta erat, manu prendiſſe, vt adſolet, volam continuit clauſam, egreſſáque baſilicam, patefactâ manu folium herbæ miratur: obſtupefacta verò quid hoc eſſet, munus cæleſte indultum ſibi diuinitùs recognoſcit, vt ſcilicet per id virtus Martyrum infirmo ſuccurreret. Domum igitur iam lætior rediens, folium dilutum aquâ, viro porrexit ad bibendum: qui vt hauſit plenus fide, protinus ſanitatem pleniſſimam meruit obtinere.

Contigit hoc miraculum, cùm adhuc Martyrum corpora extra ciuitatem aſſeruarentur, in cryptâ (quæ hodiéque adiri ſolet) ſub eccleſiâ, quam S. Anianus in illorum honorem excitarat: è quo loco, multis poſteà ſæculis, in ciuitatem delata ſunt, vt in Hugone primo dicturi ſumus. De loco ſepulturæ & tranſlatione Beati Aniani, mox agam in Sylueſtro.

IX.

SANCTVS SYLVESTER I.

HVNC Goluſius ſequenti *Frominio* poſtponit, ac vtriuſque res perperam miſcet: nos eum ex certioribus monumentis, & antiquiſſimis catalogis hoc loco reſtituimus. Beatus igitur Sylueſter, parentum hortatu, atque

etiam

etiam iuſſu, virginem ſibi deſpondit, cuius amplexibus cùm præferret illibatos toros, eò ſponſam adduxit, vt æternæ virginitatis voto vterque ſe Deo obſtrinxerint. Orantibus adfuit deſtinatus è cœlo nuncius, qui geminâ propoſitâ coronâ, ſponſæ ſimul & ſponſo animos ingentes attulit, quò datam Deo fidem, fortiter piéque ſeruarent. Puella igitur cœtui Virginum, Syluester Clericis ſeſe adiunxit: quos inter magnâ laude, ac præcellentis cuiuſdam virtutis ſignificatione verſatus, dignus tandem iudicatus eſt, qui tranſlato ad Superos Aniano, ad Epiſcopatus apicem eueheretur. Id officij cùm gereret, ac ſeneſcente vel Idolorum cultu, vel Arianâ impietate, magna fieret in dies ad pium gregem acceſſio; *Sancto Mauritio & ſociis* baſilicam Veſontione dedicauit (quæ hodiéque ſupereſt) in quam ad ſynaxes, & diuina officia, populi pars aliqua conueniret. Fuit verò adhæc mirabilium operum patrator inſignis; vt cuius virtus in curandis paralyticis, cœcis etiam lucis vſurâ donandis, quin & mortuis ad vitã reuocandis, non rarò eniteret. Ad extremum inſtante morbi vi, cùm vitæ metam diuino beneficio præuideret, euocato Clericorum cœtu, thronum Pontificalem aſcendit (ita noſtræ tabulæ,) & medio in grege, pius paſtor, beatam Deo animam reddidit: corpus verò prope Anianum deceſſorem ſuum tumulo mandari voluit; ſed quo loco, incertum: eius porrò feſtum ſic notatur in Martyrologio S. Ioannis. VI *Idus Maij. Biſontij, S. Syluestri Epiſcopi &*

Confeſſoris, cuius vita commendatur miraculis. Ac deinde ſequenti menſe: *Nonis Iunij, Tranſlatio Sanctorum Confeſſorum Syluestri & Aniani, Archiepiſcoporum Chryſopolitanæ Eccleſiæ.* Vnde, quò, quando, & à quo facta hæc tranſlatio, mihi adhuc incompertum. Suſpicor tamen, cùm ampliata eſt S. Petri eccleſia, vt Beati Nicetij Biſontini Archiepiſcopi corpus, extra muros ſepultum concluderet, SS. Aniani & Syluestri corpora, in aliquâ veteris eccleſiæ parte condita, effoſſa fuiſſe, & rurſus ſepulta in medio choro baſilicæ in melius reſtitutæ: eo quippe loco, in ſolo quod pſallentium pedibus quotidie teritur, cernuntur in quadrati cancelli formam diſpoſiti lapides (ſubtenſis ad humum ſecernendam muris, qui aliquot abhinc annis inter fodiendum reperti ſunt) qui amplum ſatis ſpatium concludunt. Et quidem in eo quadrati latere, quod maiori altari vicinius eſt, medius lapis ſic inſcriptus legitur:

SANCTORVM SEPELIT CANCELLVS
CORPORA MVLTA.
HAC IGITVR CAVSA NON
SVSCIPIT ALIA.

In latere verò oppoſito, hæc lapidibus inſculpta ſunt:

MVLTA

MVLTA SANCTORVM CORPORA IBIDEM SEPVLTA SVNT, QVORVM ANIMÆ FELICES IN COELIS CORONANTVR.

Hoc quoque fortaſſe loco conditum Euſebij quarti Epiſcopi corpus, quod alioqui ſepultum conſtat in eâdem eccleſiâ S.Petri, quam ipſe exſtruxerat.

X.

SANCTVS FROMINIVS.

SYLVESTRVM ſequutus eſt *Frominius*, pietatis ac religionis abſolutiſſimum exẽplar: in cuius elogiis hæc maximè reliquerunt Maiores noſtri, quòd orationi, afflictationi corporis, atque eleemoſynarum largitioni addictiſſimus eſſet. Superiorem Cœlij montis baſilicam, Stephano Protomartyri à B. Hilario excitari cœptam, & promotam à Pancratio, perfecit: atque in eâ Regularium Canonicorum collegium primus conſtituit; quod auctoritate Apoſtolicâ muniri curauit, multis à Damaſo & Siricio (ſedit Da-
maſus ab anno 367, ad 385: inde Siricius ad 398,) in 367.
eam rem obtentis priuilegiis. Hinc initium Cano- 398.

nicorum S. Stephani, adeóque ipſius eccleſiæ: vt vel ex eo appareat, quàm nullo fundamento, eam Biſontinarum omnium antiquiſſimam fecerint nonnulli; quæ tùm cùm perfecta eſt, quatuor alias ante ſe haberet; nempe matrem eccleſiam S. Ioannis Euágeliſtæ, S. Ioannis Baptiſtæ, S. Petri, & S. Mauricij. Defuncti Frominij corpus, conditum eſt ad dexteram partem altaris S. Stephani; ſuperioris eccleſiæ, an inferioris quæ *S. Ioãnnes* ſimul & *S. Stephanus* dicebatur, non eſt vſquequaque certum: neque enim tam antiqua eſt conſuetudo illa, neminem in Sancti Ioannis eccleſiâ ſepeliendi; vt ſuprà monui in Paulino.

X I.

SANCTVS DESIDERATVS.

DESIDERATO Patrono gloriantur in primis Ledonenſes: eiúſque felix ex hac vitâ diſceſſus, celebris eſt in diœceſi Biſontinâ, ad ſextum calendas Auguſti. Perbreuem de illo narrationem accipe ex vetuſtis membranis.

Deſideratus vir ſummæ caſtitatis, ſplendore perſpicuus, & ſui vocabuli claritate, Deo placitus, atque dilectus, parentibus nobiliſſimis ortus eſt; cuius parentes diuinâ reuelatione commoniti, quòd dignum Deo Antiſtitem funderent mundo

mundo prolem; mox editum paruulum, lactis pabulo enutritum, expleto tempore cunarum erudiendum tradiderunt ſtudiis literarum. Mox in eo lampas cæleſtis gratiæ ita reſplenduit, vt cunctos ſodales ſuos in ſcholis præcederet, & flore ſapientiæ, ac riuo torrentis facundiæ ſuperaret: cúmque iam ætate creſcente, officia diuina cœpiſſet dignè perſoluere, toto deſiderio ad aulam paradiſi anhelaret. Sed & cùm illius longè latéque fama percurreret, & amor in bonorum præcordiis glomeratus ſucreſceret; mox vt Frominius Pontifex defunctus eſt, vt ciuitatis cathedram S. Deſideratus ſuſciperet, Clerus & populus vrbis Chryſopolis, ipſum Epiſcopum vnanimiter elegerunt. Diuino igitur decreto, Pontificatus locatus in ſolio, cœpit verbum Dei in corda credentium animarum ſeminare, corporúmque languores curare, captos vinctóſque redimere, viduarum & inopum curam gerere, plebem ſibi à Domino creditam ritè gubernare: & quia Pontificis adminiſtratione fulgebat, plures ex diſcipulis reliquit ſui ſacerdotij ſucceſſores. Tandem poſt multa bona, apud Ledonem ſuæ diœceſis vicum excedens ſæculo, feliciter migrauit ad Dominum; & cùm ſummâ alacritate mentis, carne exutus, modo quo conſtituerat condignè traditus eſt ſepulturæ, in eccleſiâ Ledonenſi. Ex cuius tumbâ fluit aqua, ex quâ infirmi & debiles ſanitatem recipiunt: & multa inibi videntur fieri miracula, meritis ipſius glorioſi Confeſſoris. Tranſiit autem ſexto calendas Auguſti, lætantibus Angelis cæleſtium cohæres effectus. Hæc ex antiquis codicibus: quidquid ſit autem de aquâ illâ ex S. Deſiderati tumulo manare olim ſolitâ (quod de aliis plurimis Sanctorum ſepulcris narrari ſolet,) nunc certè nihil

tale

tale apparet: etſi id moris eſſe accepimus Clericis Ledonenſibus, vt in lapideum S. Deſiderati ſarcophagum aquam immittant, quâ populus iuuari ſe in multis credat. Neque eſt, quod in cuiuſquam ſales ac iocos incurrat, aut ſuperſtitionis arguatur, qui aliquid in eâ aquâ, ſupra quàm in communi exiſtimet ineſſe virtutis: nam ex arcâ illâ lapideâ, quæ quondam S. Deſiderati oſſa complexa eſt, cœleſtem aliquam vim in aquam infuſam vero ſimillimum eſt deriuari, quam piæ mentes ac ſimplices, vario ſuo emolumento experiantur: & docent morales Theologi, ſatis eſſe contactum ſanctorum corporum, aut alicuius rei quæ ad Sanctos pertineat (cuiuſmodi eſt ille ſarcophagus,) vt res alioqui cōmunis, cultu aliquo digna cenſeatur. Cæterùm oſſa S. Deſiderati, quæ pridē ex lapideo ſepulchro educta fuerant, & in thecâ ligneâ collocata, in capſā argēteā tranſlata ſunt tēpore *Caroli de Nouocaſtro* Archiepiſcopi Biſōtini, vt fidē facit rei geſtæ narratio, quæ quia prolixior eſt, nos eā in hæc pauca cōtraximus:

Anno Domini 1465, Indict. 13, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri, D. Pauli Diuinâ prouidentiâ Papæ II. anno primo, die feſto Beatiſſimi Confeſſoris Deſiderati, quæ eſt 27 dies menſis Iulij, R. in Chriſto Pater, & Dominus Stephanus Falquerij, Dei gratiâ Abbas S. Eugendi Iurenſis, Lugd. diœceſis, Ordinis S. Benedicti, ad preces nobilium honorabilium Scabinorum, Burgenſium, & Incolarum Ledonis salnerij, virtute & auctoritate commiſſionis ſibi datæ, 8, Iulij eiuſdem anni 1465, per Venerabilem

bilem & circumſcriptum virum Magiſtrum Stephanum de Bellouiſu, in Decretis Licentiatum, Archidiaconum de Grayaco, & Canonicum in eccleſiâ Biſontinâ, Vicariúmque Generalem in ſpiritualibus & temporalibus Reuerendiſſimi in Chriſto Patris & Domini D. Karoli de Nouocaſtro, Dei & Apoſtolicæ ſedis gratiâ, electi, confirmati, ac Adminiſtratoris in ſpiritualibus & temporalibus prædictæ Eccleſiæ Biſontinæ; oſſa ſiue reliquias Beatiſſimi Deſiderati, quondam Archiepiſcopi Biſontini, & eccleſiæ parochialis de Ledone Salnerij Patroni ac Fundatoris, de antiquâ capſâ ligneâ tranſtulit in alteram capſam argenteam, mirificè ornatam, & compoſitam, per dictos nobiles & honorabiles Burgenſes, incoláſque, & habitatores dicti Ledonis Salnerij, ac prædictæ eccleſiæ de Ledoneſalnerij parochianos curatam ac traditam.

Hæc ex inſtrumento tranſlationis, in ipsâ argenteâ capsâ incluſo: ex quibus diſcis, S. Deſideratum non patronum modò fuiſſe eccleſię Ledonenſis poſt obitum, ſed etiam ante obitum fundatorem; quòd prior manuſcriptus codex tacuerat.

XII.

SANCTVS GERMANVS Martyr.

SANCTISSIMO Præſuli, & Martyri Germano (quem *ſeptimum* fuiſſe Biſontinæ ſedis Epiſcopum, malè Baronius in Martyrol. dixit ex Demochare) dicata notatur

in Martyrologiis Biſontino ac Romano anniuerſaria celebritas ad vndecimam diem Octobris. Is apud *Grandifontem* (oppidum id temporis nobile, nunc in pagum redactum, quem vulgus *Grandfontaine*, quarto circiter à Veſontione milliario) glorioſam pro
396. Chriſto mortem oppetiit circa annum 396, (malè Baronius, anno 372:) eò ſcilicet ſeſe receperant Arianæ impietatis ſectatores, quos ille de reliquo grege ſollicitus, ciuitate Biſontinâ eiecerat: ſed cum nec perditarum ouium immemor, eò ſe contuliſſet, vt eas (ſi tamen vellent) diuini verbi prædicatione, ad Chriſti paſcua, caulaſque traduceret; verſa eſt in lupinam feritatem ouium natura, & nouo crudelitatis genere in proprium ſæuiere paſtorem. Rem vtì geſta eſt, habe ex antiquis tabulis Palmenſibus; quo loco ſacra eius oſſa piè aſſeruantur:

Poſt glorioſum Beati Deſiderati ad cœlos tranſitum, Beatus Germanus vir apoſtolicus, ſignis & prodigiis inclytus, concordante fauore populi, aut potiùs Dei ſpiritu proclamante (vir olim miniſtris deputatus) aliquando ſacris altaribus ſacerdos electus eſt. Factus ergo Presbyter, tantâ ſanctitate emicuit, vt in Miſſarum ſolemniis, inter manus miniſterium Angelicum appareret. Qui etiam tantæ dignitatis faſtigio ſublimatus, multis calamitatibus ac tribulationibus huius mundi, pro Chriſti nomine affectus eſt: nullis vſus eſt proſperis, cùm omnia aduerſa ob Chriſti amorem portaret. Hic ante Epiſcopatum probabilis fuit Confeſſor, & in Epiſcopatu nihilominùs ſemel & iterum, vſque ſepties, pro nomine Saluatoris examinatus atque diiudicatus eſt: hic fecit

vaſa plurima ſacrata, ſacris altaribus apta : miniſteria quoque ſacra ſolerti induſtriâ ſanciuit : denique ſuâ prædicatione ac traditione, multos ad credulitatem & Baptiſmum Chriſti conuertit. Poſtquam verò prædictam plebem ad verum Dei cultum præfatus Dei Pontifex conuertit, & multos à variis languoribus liberauit; hæreticos etiam, qui in ſuâ ciuitate Chryſopoli remanſerant, in ſuis prædicationibus grauiter impugnabat, & vt eos ad viam veritatis reduceret; modò blandimentis vel exhortationibus; modò increpationibus vel vituperiis corripiebat: ſed quia dicente ſcripturâ; In animam maleuolam non intrabit ſapientia, neque cordibus induratis & ſubditis peccatis; ſicut aſpis ſurda contra incantatorem, ita & iſti hæretici contra prædicationis verbum obturabant aures ſuas : & ſicut Iudæi in B. Stephanum, ita iſti in B. Germanum dentibus fremebant; & ſi eum extra ciuitatem inuenire potuiſſent, non minùs quàm Iudæi Stephanum, iſti Germanum lapidaſſent. Erat autem quarto ab vrbe milliario quædam ciuitas, turribus & muris tunc munitiſſima, nomine videlicet Grandiſons; in quâ quidem ciuitate multi hæretici confluxerant ad refugium, propter metum Beati Germani, qui hæreticos omnes, quos inuenire poterat, à ciuitate & patriâ exſtirpabat: ibíque die & nocte dicti hæretici, ſua iniqua conſilia peragebant. Glorioſus igitur Germanus hæc audiens, de Chryſopoli exiit, & ad ciuitatem illam perrexit: ad cuius aduentum per odium, & inuidiam exierant, & ad perſequendum eum adſtipulati ſunt. Quid plura? intenderunt arcum ſuum, vt ſagittarent in occulto immaculatum, id eſt, inſidiabantur ei, vt eum morti traderent ſi poſſent: verumtamen quia in aperto ei nocere nō

audebant, diſpoſuerunt ei inſidias ponere. Erat enim quidam vicus in ciuitate, per quem ire & redire ſolebat, cùm ad prædicationem iret vel rediret: & cùm Deus famulum ſuum illum, veritatis pugilem, donatiuo gloriæ cœleſtis remunerare vellet, raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum eius, aut fictio deciperet animam ipſius: & verè raptus; nam cùm quadam die à ciuitate ſerò reuerteretur: & per vicum illũ ſicut ſolebat tranſire vellet, illi miſeri qui arcũ inſidiarum tetenderant, quaſi ſagitta de occultis inſidiarum proſilientes, Sanctum Germanum orantem inuenerunt: & dum oraret, audita eſt vox conſolans eum; quod audientes hæretici dicebant magicam artem eſſe; alij verò dicebant, Angelos confortantes: cuius gratiâ conuerſi ſunt plurimi. Ipſo orante ſagittauerunt eum, & armis ſuis capite priuauerunt: & ita conſummatus in breui expleuit tempora multa, placita enim erat Deo anima ipſius. Poſt hæc flexus, caput ſuum inter brachia recepit: de quo multi obſtupeſcentes fugerunt. Glorioſus itaque Martyr Chriſti Germanus, & Sacerdos Domini dilectiſſimus, inter amplexus caput habens, Angelo duce & cœleſti lumine præcedente progreditur, ſuper caput ſuum ferens Spiritum ſanctum, in ſimilitudinem columbæ. Qui cùm de vico exiiſſet, terra tremuit, & ceciderunt muri ciuitatis illius & turres: & qui viderunt hæc omnia, dixerunt: Verè magnus eſt Dominus, qui talia operatur: verè amicus Dei erat hic: & conuerſi ſunt populi multi. Qui cùm ante eccleſiam beatorum Martyrum Ferreoli & Ferrutij acceſſiſſet, inclinauit ſe ibidem; & inde pertranſiens circa Chryſopolim à latere deſuper, ad Eccleſiam & Ciuitatem ſe inclinans, ſine morâ perrexit vſque Palmam, declinauitque ad quandã baſilicam

ſilicam iuxta maiorem eccleſiam; ibi enim fundauerat Sanctimoniales, ibíque obdormiuit in Domino Ieſu Chriſto. Cætera miracula cauſâ breuitatis omittemus: ipſe enim tantâ ſanctitate præpollebat, quòd etiam ſpiritu prophetiæ plenus erat: omnes morbos à corporibus humanis expellebat, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui eſt honor & gloria in ſæculorum ſæcula, amen.

Hæc vetuſti codices. Nec verò eſt, quòd cuipiam in animum veniat ſuſpicari, rem eſſe inſolentem, & de vulgi commentis aſſutam, geſtationem illam præciſi capitis: geſtit enim plerumque ludere in iis ſapientia, quæ maximè ab humanis ſenſibus & conſiliis abſint. Audi Rupertum Tuitienſem Abbatem, (apud Surium tomo 5, 16, Octob.) ſimile quid referentem de Martyre *Eliphio*: *Martyris*, inquit, *corpus erexit ſe per virtutem Chriſti, & ambabus amplexum manibus caput ſuum, per vnum milliare; comitantibus vtique Angelis, & Chriſtum collaudantibus deportauit.* Idem habes de Martyribus, *Vrſo, Victore, & ſociis*, ex Thebæorum legione, *Solodori* in Galliâ, ſub Maximiani Tyrannide, capite truncatis, & deiectis in profluentem, *qui* (vt habent eorum acta apud Sur. tom. 5, & tom. 7, 30, Sept.) *capita ſua in manibus portantes, flumen egreſſi ſunt, & ad locum, vbi nunc in ipſorum honore baſilica fabricata eſt, peruenerunt.* De ſancto verò Dionyſio Galliarum Apoſtolo, conſentientia ſunt ſcriptorum teſtimonia; ſit omnium inſtar Metaphraſtes in eius actis, quæ citat Florentina Synodus, & refert Surius tomo 5. *Ferebat*, inquit, *ipſe caput in manibus, tan-*

quam aliquod trophæum, à Diuinâ omnino portatus gratiâ. Sed eſt in Germano noſtro quòd obſerues, primùm itineris longitudinem; milliarium ſcilicet quatuordecim; quippe totidem numerantur à *Grandifonte* ad *Palmam*, duobus (quod minimum ſit) in ſingulas leucas noſtras vulgares milliaribus computatis. Deinde illam terræ concuſſionem & diſiectionem murorum ac turrium: certè ab irato numine, quod aliquas tam immanis facinoris pœnas exigeret, & illatam ſibimet iniuriam, ac læſam ſuâ Maieſtatem, aliquâ tandem furoris ſui ſignificatione declararet. Poſtremò columbam illam capiti inſidentem, Diuinæ Sancti Spiritus præſentiæ ſpecimẽ: quâ olim notâ agnitus à Præcurſore Chriſtus, illud quippe à Deo fuerat præmonitus Ioannes; *Super quẽ videris Spiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptiſat in Spiritu Sancto*; vidit autem Spiritum deſcendentem, *quaſi columbam de cœlo.*

Ioan. 1.

His igitur prodigiis, his datis è cœlo ſignis egreſſus Germanus, per villam *SS. Ferreoli & Ferrutij* (quæ Grandifontem inter & Veſontionem mediâ ferè viâ interiacet) inclinauit ſe venerationis ergò ad SS. Martyrum baſilicam, vbi tunc ſacra eorum λείψανα: ſimile reuerentiæ ſignum, ad eccleſiam Biſontinã conuerſus exhibuit, cùm prope Chryſopolim, Palmam versùs tranſiret: vt vel hinc diſcant incendiarij, & ſacrarum ædium atque altarium euerſores, abſtinere manus, & adeò religiosè colere ea loca, quæ à tanto Martyre, & cœlo iam donato, in honore haberi

beri cognouerint. Palmam denique vbi peruenit (oppidum eſt decimo à Veſontione milliario, ex oppoſito Grandifontis) declinauit ad Sanctimonialium, quas fundauerat, baſilicam, in quâ hodiéque ſacræ eius reliquiæ coluntur. Ei baſilicæ tunc temporis maior alia adiacebat; nunc verò vtrâque variis caſibus dirutâ, ac deinde reſtitutâ, res eo ſunt ſtatu, vt Palmenſium eccleſiarum maxima ſit, quæ ad Moniales pertinet. Id cœnobium, viuente adhuc S. Deſiderato, ædificari cœptum legimus: perfectum deinde à S. Germano, ab eóque piis & Deo conſecratis fœminis (quæ poſteà Benedictinum Inſtitutum ſequutæ ſunt) attributum; à Vvandalis poſteà diſiectum; ac deinde circa annum 600, à *Vuarnario* palatij Burgundici Comite reædificatum, atque auctum prouentibus. Vuarnarij huius obitum refert Vignierus in chronico Burg. ad annum 603 (eſt enim alius à Vuarnario palatij primùm Auſtraſiani Comite, ac deinde Burgundionum Præfecto ſub Clotario Rege; de quo idem Vignierus anno 618, quéhique anno 630, fatis conceſſiſſe dicit.) Sepultus verò fuit in choro eccleſiæ dicti Monaſterij, quod reſtituerat: & extat inſigne eius lapideum monumentum; circa quod inſculptum Guntranni Regis ſomnium hîc tibi vtcunque reddimus.

Somnium



Somnium illud ita refert Aimoinus lib. 3, cap. 3, *Hic* (Guntrannus Rex) *quâdam die venatum in ſyluam profectus, ſociis, prout res expoſcebat, huc illúcque diſperſis, ipſe cum vno ſuorum fidiſſimo fidelium* (is creditur fuiſſe Vuarnarius) *ſub arbore quieturus reſedit, poſitóque in familiaris amici gremio, capite, oculos cupiens furari labori, obdormiuit. Et ecce ex ore quieſcentis Regis, in modum reptilis animal*

animal egreſſũ, oras propter labentis riuuli percurſare, ac in vlteriorẽ ripam tranſire ſatagere cœpit. Quod cernens ille, ſuper cuius genua Rex ceruicẽ inclinauerat ſuã, gladium vaginâ nudatum fluuiolo ſuperpoſuit, & ſic animal illud ad alteram tranſmeauit partem, atque ſub radice cuiuſdam montis ingreſſum, poſt aliquot horarum rediit ſpatium, & eodem ponte vſum, in os Guntranni Regis eſt ingreſſum. Et ſurrexit Rex, & familiari narrans ſomnium, mirabile ſe dixit vidiſſe viſum, inquiens: Conſpexi fluuium permaximum ponte ferreo conſtratum, per quem tranſuectus, ſpeluncam in cuiuſdam montis radice conſtitutam ſum ingreſſus: inibi inæſtimabiles theſauros, abſconditámque veterum reperi gazam patrum. Refert alter, quid de eo & ipſe intuitus ſit: conſonáque ſibi apparuerunt ſomnij verba, ac viſio manifeſta. Quid plura? effoſſus eſt locus, enorméque auri ac argenti inuentum pondus, de quo Guntrannus ciborium miræ magnitudinis ſimul, & pulchritudinis compactum, Hieroſolymam mittere deſtinauit ad Ieſu Chriſti Domini ſepulchrum. Sed cùm & itineris difficultas, & Saracenorum, qui eadem infeſtabant loca, timor, ne vota perficeret obſtitiſſent; in baſilicâ, quæ Cabilonenſi adiacet ciuitati (cuius condendæ ipſe auctor exſtiterat) ſuper ſepulcrum S. Marcelli poni iuſſit: quod quamdiu tumulum S. Martyris durando venuſtauit, nullum in totâ Galliâ opus, quod ei æquipararetur, potuit inueniri.

Hæc Aimoinus: quibus addunt Palmenſes, Guntrannum Regem, monſtrante de cœlo manu (vnde Palmenſi vrbi nomen inditum putant; atque etiam inſigne, *Palmam extenſam*, qualem in Vuarnarij tu-

mulo inter duos Angelos expreſſam habes) agnouiſſe,id cordi eſſe Superis,vt Monaſterium Palmenſe reſtitueret: quod & per Vuarnarium,ſeu Guarnarium ibidem commorantem, feciſſe aiunt: prætereáque theſauri reperti locum oſtendunt, vicinum vrbi Palmenſi montem(malè enim hæc in agro Turonenſi contigiſſe narrat Paradinus,annal. Burg.lib. 1,) in quo monte nunc vinea eſt, quæ ideò *theſauri vinea* dicitur,vulgò *la vigne du Threſor*: quæque olim iuris cùm eſſet eius Monaſterij, à Sebelotâ *de Varres*, Abbatiſsâ, anno 1347, conceſſa eſt Gerardo S. Martini Palmenſis parocho, pro iure quarumdam decimarum in pagis *Champvans*, & *Grosbois*: ex diplomate.

In eo quoque cœnobio, celebrem illam *Othiliam* Virginem (cuius nomen relatum eſt in tabulas eccleſiaſticas ad 13 diem Decembris) educatam fuiſſe, & eius ad quam poſteà euecta eſt ſanctimoniæ poſuiſſe rudimenta,tum Lazius de Gentium migrationibus libro 8, capite *de Ducibus Alemaniæ & Sueuiæ in Alſatiâ*; tum antiqui Palmenſium codices teſtantur. Sed poſteà reuerſa, obiit in Alſatiâ,vbi nunc percelebris eſt eius memoria.Sacrum ipſius *velum* in Palmenſi Monaſterio hodiéque piè aſſeruatur.

XIII.

XIII.

SANCTVS ANTIDIVS *Martyr.*

SANCTVM Antidium (cuius feſtiuitas notatur in Martyrologio Biſontino, ad decimamſeptimam diem Iunij ; in Romano verò ad viceſimamquintam eiuſdem menſis) Petrus de Natalibus in catalogo Sanctorum lib. 8,cap. 32,& Marulus lib.3, exemplorum, cap.2,Turonẽſem Epiſcopum dixêre, ſed immeritò; cùm Gregorius Turonenſis,qui lib.10,de geſt.Franc. cap. 31, deceſſores ſuos enumerat, neminem accenſeat huius nominis.

In omnibus porrò Archiepiſcoporum Biſontinorum catalogis,Antidius proximè ante Nicetium reponitur; etſi longo dirimuntur interregno; & inter vtrumque vacaſſe dicitur ſedes multo tempore.Nos verò, ſicut quinque ante Nicetium omiſſos reſtituimus,ſic & Antidium in hunc locum referendum putamus. Cùm enim Beati Protomartyris brachium, aliáque ſacra pignora(de quibus poſteà) à Theodoſio Iuniore Veſontionem miſſa conſtet ſedente Celidonio(quod fieri non potuit ante annum 415, quo S.Stephani corpus reuelante Deo repertum eſt; immò nec factum eſt,niſi mortuo Honorio,qui

obiit anno 423;)certúmque ſit ex omnibus de S.Antidio monumentis, eum ſub *Croſco* Vvandalorum Rege trucidatum; cuius Croſci in Gallias irruptio ex omnium Chronographorum calculo, (vt paulò poſt innuam) in annum 407, aut aliquem è proximè ſequentibus referenda eſt: neceſſe habemus fateri, Celidonium Antidio poſteriorem fuiſſe; quin & Leontium, vt oſtendemus *in Leontio.* Nec mirum, erratum in hac parte ab iis, qui noſtrorum Antiſtitum ordinem inſtituerunt, atque Antidium ferè in Attilæ tempora reiectum; cùm nihil ſit frequentius apud ſcriptores, qui res per ea tempora geſtas prodidêre;quàm vt eàs Galliarum clades,quę frequentes fuère à Stiliconis temporibus ad Attilá vſque (hoc eſt ab anno 406,ad annum circiter 453) inter ſe confundant, eáſque generali *Vvandalicæ perſecutionis* nomine deſignent. Flodoardus hiſt. eccl. Remenſis lib. 1, cap. 6, *S. Nicaſium* Remenſem aſſerit paſſum à Vvandalis, tempore *Aniani Aurelianenſis, Lupi Tricaſſini,* & *Seruatij Tungrenſis*;quos tres certū eſt Attilâ in Galliis graſſante floruiſſe. Sed eum Vvandalos ab Hunnis nec nomine, nec tèmpore diſtinxiſſe perſpicuum eſt; tum ex eo quod habet ipſo initio capitis octaui; *Sub eâdem Vvandalorum, vel Hunnorum perſequutione, quidam Dei ſeruus, &c.* quaſi Hunni,Vvandali ſint: tum etiam,quod de hac Galliarum vaſtitate agere dicit S. Hieronymum, epiſt. ad Ageruchiá; qui certè cùm obierit anno 420,ſcribere non potuit de Attilæ clade, quæ contigit anno

451, &

451, & ſequentibus: ſed de illâ egit, quæ propriè Vvandalica dicitur, quæque anno maximè 407, Gallias malè habuit. In quâ etiam occubuiſſe cum ſociis *S. Nicaſium* Remenſem Epiſcopum (non autem, vt alij plerique dixêre, ſub Attilâ) vero ſimilius putamus, cum Baronio anno 407, num. 42: tum quòd S. Hieronymus citatâ epiſtolâ vndecimâ ad Ageruchiam, diſertè ſcribat Remos à Vvandalis vaſtatos: tum quòd acta S. Antidij, quæ mox ex antiquis manuſcriptis codicibus reddemus, fidem faciant, ab eodem Croſco Vvandalorum Rege interemptos cum *Antidio*, præter *Valerium* Lingonenſem Archidiaconum, *Deſiderium* quoque eiuſdem vrbis Lingonenſis, & *Nicaſium* Remorum Antiſtites. Quòd verò Hincmarus, qui octingentis circiter abhinc annis eamdem Remenſem eccleſiam rexit, capite 17, cuiuſdam ſuæ epiſtolæ, (quæ quinta eſt earum, quæ anno 1602, ex ms. Spirenſi typis Moguntinis vulgatæ ſunt) dicit, eodem tempore *S. Anianum Aurelianenſem*, & *Lupum Trecenſem* Vvandalis reſtitiſſe, quo *Nicaſius* Remorum Archipræſul; non obſcurè ſignificat, ſe populos omnes aquilonares, *Hunnos, Sueuos, Alanos, Burgũdiones, Francos, Gothos, Gipedas, Sarmatas*, alióſve qui annis illis fermè quinquaginta prænotatis miſeras Gallias vaſtarũt, vno Vvãdalorum nomine comprehendere; omnéſque eorum irruptiones, quòd exiguis diſcretæ fuerint interuallis, quaſi pro vnicâ cenſere. De *Antidio* noſtro hæc habe ex veteri codice MS. Metropolitanæ baſi-

licæ S. Ioannis: quæ nos cum ms.*Monaſterij Accincti* ord. Ciſtert. & aliis quibuſdam exemplaribus collata, atque etiam ex eis(vbi opus fuit)emendata,in capita aliquot,methodi gratiâ diſtribuimus.

Vita & Paßio S. Antidij Biſonticenſis Archiepiſcopi.

Caput I.

Beatus Antidius Chryſopolitanæ vrbis Archiepiſcopus, nobili germine editus, veræ religionis efficaciæ deditus, ſacris eruditus moribus, ſeruandis plenus operibus, inter creberrimos luporũ diſcurſus poſitus(quia quippe tunc plures Ariana fœdabat dementia)de ſuorum curiosè ſatagebat cuſtodiâ. Certabat cuſtos pro gregis incolumitate totis viribus, quia ferum hoſtem ſuis inſidiari cernebat ouibus. Hic quindecim caritatis circumfulgens radiis, pietatis ſuccinctus balteis, vexillo triũphans dogmatis, quæ populis pandebat eloquio, actu ſeruabat & animo: erat enim humilis & benignus, patiens & modeſtus, fidelis & caſtus, ſpe firmus & verus, pius & caritatiuus, concors & ſobrius, obediens & lætus, mente ſeuerus: vigilabat pro poſſe ſuper eos quibus præerat, ne ſerpens callidus deciperet, quos regebat, neque retrogrados faceret, quos iam antè damnarat: ſummi Regis ſuppetens præ-
Ps. 126. *ſidium, illud ſemper præferebat Dauidicum: Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtrà vigilat qui cuſtodit eam: orationi inuigilabat, ieiuniis inſtabat, eleemoſynis inhærebat; nil de tranſitoriis cogitans, omni niſu ad æterna tendebat, quæque in ſe ſtudebat, eis cæteros inſtruebat. His & ſimilibus roboratus armis, tantis eum Dominus donauit triumphis, vt etiam*

etiam dæmonibus imperaret, eóſque ſui corporis famulatui ſubiugaret. Vnde commodiſſimũ duximus, quò ex eius geſtis pauca, quæ veridicorum ſenũ relatu comperimus, ſacræ Catholicæque Religioni mancipatis notificaremus: rem quidem maximam humanâque admiratione confectam, ſed diuinæ potentiæ habilem, ſuæque iuſſioni parentibus quàm citò præſtabilem: vniuerſa nempe ſuo iuſtè obediunt plaſmatori, ſuóque imperio ſacræ inſtitutionis obſecundant ſeruatori, ſanctæque legis famulantur cultori: nam fidei munitis inuictæ, facultas imperandi virtutibus eſt promiſſa cunctarum creaturarum, necnon & elementorum poteſtatibus, à ſummo & vniuerſali conditore, qui dixit: Si habueritis fidem vt granum ſinapis, & dixeritis montibus, vt recedant à ſuæ conditionis loco, ſéque mittant in mare, amen dico vobis obſecundabunt dictui veſtro. Imperant etiam & Dæmonibus, Chriſti milites: meritò quidem, vt qui ad reſtaurandum eius formati ſunt ordinem, qui ſuâ proteruitate & concupiſcentiâ, cœleſti priuatus eſt gloriâ, humilitatis ac caritatis, fideíque roborati potentiâ, ipſum antiquiſſimum hoſtem à dignitate deiectum Angelicâ (quam loco eius poſſeſſuri ſunt poſt tranſitoriæ vitæ tempora) proterant & conculcent imperio, ſuæque ſeruitutis ſubdant officio.

II.

Memoratus itaque Pontifex ſuos circumquaque dirigens palmites, vt vitis fructifera, dum prædicationis gratiâ, prætitulatæ vrbis præterire vellet mœnia, contigit, vt Duuij fluminis pontis conſcenderet culmina, vbi diuino tectus velamine, fretus Angelico ſolamine, dæmones vidit adſtantes, ſui laboris accidentia recitantes. Nomen ergo Duuij amnis

uij amnis, cur ita nuncupatum ſit (ne fortè legentibus vel ſtudioſis auditoribus faſtidium ingerat) pandendum eſt: dicitur namque Duuium *mutatâ literâ, quaſi* Dubium; *eo quòd dubio, & flexuoſo alueo diſcurrat, ſuâque furioſitate, ac velocitate, ſuper ſe nauigantes, dubios reddat. Huius quippe fluminis vallo vrbs prædicta cingitur, eiúſque perenni ſitu roboratur, non illius tam firma profunditate, vel vndis, quàm Protomartyris Stephani munita triumphis; beatíque Antidij (cuius ornatur oſſibus) ſolata meritis. Vir denique venerandus, vbi iam dicti pontis intrauit aditus, repente ex aduerſo ei apparuit agmen dæmonum, ſua magiſtro geſta confitentium: videbatur namque inter illos quidam Iudicis modo ſublimiori reſidens ſede, cæteros ad ſe conuocans, ac vniuſcuiuſque certamina ſciſcitans: caput eius diademate cingebatur, manus regio ſceptro firmabatur, corpus purpurâ variis tinctâ coloribus tegebatur: in quo vt imperterritus Antidius defixit intuitum, ſubitò viſus eſt aduenisse quidam Aethiopum nimiæ toruitatis, terribilis ſpecie, miſerâ conſumptus macie, reſolutis & torpentibus membris, vti feſſus itinere, manu geſtans ſandalium, ſui laborioſi certaminis indicium: cúmque ſcrutarentur quid talia portenderent: fertur reſpondiſſe, Romanæ eccleſiæ Pontificis ſandalium fore, in quem cùm per ſeptem annorum curricula plura vibraſſet iacula, multa libraſſet certamina, vt ſuæ ſpeciei monſtrabat miſeria, nec vlla poſſet impudicitiæ ſuperari maculâ, diutina primùm profitebatur fruſtrà peregiſſe tempora; ad vltimum verò ceu victor de victi detrimento ſeſe glorificans, aſſerebat ſupra memoratum Romanum Antiſtitem, ſuæ ſuaſioni ceſſiſſe, & in impudicum*

dicum laqueum inciſiſſe: cuius rei indicium ſolabatur ſandalio. At Beatus Antidius haud procul ſtans, quid rei exitus indicaret expectans, hæſitabat in animo de patris & magiſtri vniuerſalis (ſcilicet Papæ) præſidio. Ipſa, quâ viſa ſunt hæc, dies erat tertia ante feriam, quâ dominicâ celebratur cœna, ſanctúmque conficitur chriſma: præteritâ verò dominicâ, Palmarum videlicet die, Dæmon gloriabatur ſummum Pontificem deliquiſſe, & à directi ordinis tramite receſſiſſe.

III.

Venerandus igitur Antidius benedictæ crucis ſigno munitus, tam de magiſtri ſollicitus ignauiâ, quàm de futuræ ſolemnitatis curioſus præſentiâ, meditabatur in animo quid expleret obſequio: adſtabant circa Præſulem clerici confabulantes, variis compaſſibus ſeſe quatientes, pædagogum attonitum conſpicientes, nec tamen illi colloqui audentes: Quos ipſe conuocans ſuæque benedictionis munimine confirmans: talibus illos fertur eloquiis commonuiſſe; Recedite commilitones mei, pax vobis: de dierum aduenientium ſtatu vel ordine ſollicitè curate; populum qui ad Eccleſiam conuenerit pro poſſe roborate: oportet enim me pro veſtrâ multorúmque ſalute ſingulare certamen inire, diéque ſabbati ad vos redire. His dictis, fratribus inde remotis, Dæmones ſic alloquitur: diſcedite maligni inſidiatores, pontis aditum occupantes, neminem noceatis, nec quenquam vrbem hanc inhabitantium decipiatis. Conuerſus autem ad ſuprà notatum Aethiopem, dixit: Præcipio tibi Dæmon in nomine Dei Patris omnipotentis & Filij & Spiritus ſancti, in quo viuimus, ſperamus, & ſumus, cui omnia famulantur Elementa,

qui te offenſione tuâ ſegregauit ab Angelis, vt meo te corpori ſupponas, méque Romam ſub manu Domini Dei noſtri eâdem velocitate, quâ veniſti, ſaluum & incolumem perferas, nullam habens euadendi poteſtatem, quouſque ad locum, quem tibi dixero, peruenias: tu namque ceu quoddam leue nauigium per rapidiſſimas diſcurrens vndas; Dominus autem noſter Ieſus Chriſtus, qui nunquam in ſe deſerit credentes, rector erit & remiger. His finitis, vexillo ſe muniens crucis, non oblitus ſandalij, dæmoni ſe ſuperpoſuit, illum ſæpe iterans verſum, Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me feſtina. Ferebatur itaque Chriſti famulus curru diabolico, diuino regente ſtimulo, leuis vt pennifer, fortis vt armiger, Dominum ſemper inuocans, & pro totius Romanæ vrbis populo ſupplicans. Ergo nullo terrore concuſſus, nullo inexplicabili itinere impeditus, horâ fermè diei tertiâ, quâ cœna colitur dominica, ante fores Lateranenſis Eccleſiæ peruenit. Ibi quoque relicto dæmone, Dominicæ virtutis ſuíque imperij conſtricto ligamine (quippe vt qui malorum incitator eſt omnium, nullâ ſuæ calliditatis arte ſummi ſacerdotis irretiret animum, quâ ſui reatus occultaret vinculum) domum denique Domini intrat, proſtratúſque in oratione, grates Deo omnipotenti reddidit, qui ferociſſimum & indomitum hoſtem ſui ſerui deditioni ſuppeditauit.

IV.

Erigens autem ſe, vt multitudinem coëuntium ad tam ſolemne ſtatutum conſpexit, quidnam quærerent, vel vbi ſummus ſacerdos moraretur, ſollicitè requirebat: cui quidam Clericorum primus omnium intulit, ipſum quem expetebat Antiſtitem, in ſanctuario eſſe, vt ſacris indutus veſtibus inde

inde procederet ad altare, officia diei conuenientia miniſtraturus. His auditis Beatus Antidius, iam recitantis ſermone territus, vbi Pontifex induebatur, cucurrit feſtinus. Extrahens ergo illum ſeorſum ab aliis, ne ab expertibus rei impediretur, néve conſilium ab ipſis nudaretur: ordinem patrati ſceleris planè repræſentauit; cúmque ille tanti criminis ſeſe reum diſculparet, virque beatus illud ſandalij indicio approbaret, nimio ferè exanimis factus terrore, meditabatur quid reſpondendi foret idoneum: deſperatio namque ingens (adeò vt vix lacrymis abſtineret) inceſſerat, inuſitatique reatus illum confeſſio coarctabat. Tandem beati viri prouolutus pedibus, proprij criminis pro poſſe ſoluit nodũ, omníque niſu remiſſionis ſupplicat præſidium: at Beatus Antidius, ita magiſtri ceu propriis cõpunctus lacrymis, manibus illũ erigit, verbis ſolatur, quidq; agendum foret, expedito indicat ſermone. Rogatu igitur eiuſdem Papæ, conſamulantibus miniſtris, vir Dei ſacris ornatus indumentis, cunctíſque ordinatim diſpoſitis, quæ ad procedendum more Romano ſolita ſunt inſtitui, à ſanctuario procedens cum laudibus & hymnis proſequente Clero, ad ſacrum deducitur altare. Spectabat vndique Præſulem ignotum populus obſtupefactus, ſeſe variis agitans ſollicitationibus, quid rei præſentis ſignaret euentus: cernebat enim inopinatum nec ante viſum Vicarium, myſteria tanto diei cõgruentia .. ſpenſantẽ: notum verò & quotidianum Pontificem nullâ ſui corporis inſanitate patente vacantem. Vir denique venerandus, cœpta peragens officia, balſaminum conſecrauit chriſma, oleíque ſanctificauit liquamina, cunctíſque Miſſæ completis myſteriis, in ſanctuarium regreſſus, ſacris veſtibus exutus, magiſtro omni diligentiâ,

remiſſionis & curationis ſuæ commiſit certamina. Hærebant ſimul diſcipulus & magiſter, ſeſe viciſſim flectentes, lacrymarum affluentiâ madentes, propria alternatim delicta confitentes, ſeque pro ſuis inuicem reatibus ſupplicantes.

V

Benedictionis ergo dono mutuatim dato, pacíſque munimine firmato, Præſul Antidius, non chriſmatis oleíque immemor (quippe ne ſibi commiſſis Chriſtianæ inſtitutionis deeſſent ſubſidia) ſecum ſacramenta ferens rediit ad locum, in quo dæmonem ſtatuerat. Regem quoque omnium Regum inuocans, cruciſque ſacræ ſe ſignaculo roborans, directis in cælum luminibus, dixit: Deus in nomine tuo ſaluum me fac, & in virtute tuâ libera me. His dictis ſe iam dicto ſibi ſubdito hoſti ſuperpoſuit, virili imperans iuſſu, vt eum eadem reueheret velocitate ad vrbis Chryſopolitanæ ſedes, quâ iam antè illum exportauerat ad ipſius Lateranenſis Eccleſiæ fores. Vectus itaque dæmonis obedientis poſſibilitate, veluti rapidiſſimâ cuiuſdam currus agilitate, omnipotenti rectus aurigâ, proximioris ſabbathi feriâ, horâ diei ſextâ, Chryſopolim repatriat. Morabatur adhuc in vrbe præfatâ, multitudo Clericorum, quæ conuenerat ad diem Sanctum cœnæ Domini: aderant & pœnitentes, qui venerant ad impetrandam ſuorum ſolutionem ſcelerum, Patris & Domini exſpectantes aduentum, qui triduanis ſollicitationibus macerati, dum Patris comperiſſent reditum, læti, & gaudio vix abſtinentes lacrymis, concurrentes vndique ſalutabant eum. Quidam autem eius prouoluti pedibus, redeundi licentiam flagitabant: quorum precibus vir adquieſcens Beatus, ſemotis primùm à conuentu eccleſiaſtico communionem, domúſque

que Dei ingreſſum dedit, conuocatiſque dehinc Archileuitis, iuſſit chriſma ſacerdotibus diſtribui. Ad extremum verò cunctis ordinatim completis, quæ in Dominicæ Reſurrectionis vigiliâ ſunt celebranda, ſacra Miſſæ finiuit officia. O mira Dei omnipotentis potentia, ô mira virtus noſtræ ſalutis magnifica, cuius regimine cuncta ſubſiſtunt condita, qui ſibi famulantibus tanta confert ſubſidia, vt etiam inuiſibiles, & indomiti hoſtes, ſua timeant imperia: ô virum laudibus meritíſque politum, cuius beſtia manſueſcens oraculo (quæ quidem nec cami regitur vinculo, nec concitari poteſt calcaris aculeo) obedienter eius ſe ſubmiſit obſequio. Nulla illum dæmonis terruit ſpecies, nulla macerauit eſuries, nec potus terruit inopia, per quinque dierum ieiunia. Omiſſis ergo, quæ de Beati viri geſtis præſcripſimus, ad ipſius martyrij ſeriem reuoluto margine redeamus.

V I.

Honorio igitur magni Theodoſij filio, cum prole fratris Arcadij, minore Theodoſio ſummam imperij iure moderante regio, tot tantíſque perturbationibus vndique concuſſa eſt Gallia, populi primùm peccantis inſolentiâ, barbara dehinc præualente violentiâ, Dei inſuper permittente potentiâ, vt quæ paulò ante gloriabatur de multarum gentium cæde, ſuâque victoriâ, poſt vno immenſo, ac terribili barbarico impetu repentè proculcata, omnibus ferè viribus amiſſis triumphi gloriam hoſtis crudelitate ſuperatam lugubri clamore, planctibus, ingentique permiſto mœrore recogitaret, animóque miſerè commendaret. Croſcus enim Rex Vvandalorum, nequiſsimo matris impiæ fretus cōſilio, cū Sueuis, & Alanis, de finibus ſuis egreſſus, Gallias appetens, omnia ferro, rapinis,

pinis, & igne, in quibus ſua præualuit ferocia, vaſtauit, & ad perniciem vſque deleuit. Mater namque illius, filium ad peruerſiora incitans: ſi cupis (inquit) fili, nouæ rei effector videri, tibique nomen omnium maximum adquirere, Chriſtianæ religionis eſto deſtructor, cunctarúmque eccleſiarum euerſor: nil quoque vtilius peragere potes, quo nomen tuum eleues, quàm ſi præceſſorum tuorum inſtituta adnihiles, ipſorúmque ædificia proteras & conculces. Quibus incitamentis tyrannus nimio furore ſuccenſus, Rhenum apud Magontiam tranſiens, eamdem vrbem primùm cum populo vaſtauit, plures dehinc Auſtraſiorum ciuitates vallans, Mettas peruenit, cuius murus nutu ruẽs diuino, Vvandalorum adiuuit ingreſſum: vniuerſas poſthæc Galliarum vrbes peruagãs, alias ſubſidione deleuit, alias incendio cremauit: plures autem non ſolùm pecuniis, ſed etiam populo priuauit: Chriſtianæ quoque religionis fautores, prauis & inauditis perſecutionibus quatiens, quoſdam variis protraxit pœnis, quoſdã verò citato ſecuit ictu bipennis: inter quos beatiſſimum Nicaſium Remenſem Archiepiſcopum, virum vitâ, moribúſque glorioſum, poſt multorum cruciatuum varietates, moderati nuſquam memor animi, ſtemmate decorauit martyrij. Nullus in Barbaris veſaniæ modus, nullus indulgentiæ locus, ſed ſemper ad cædendum continuus. Inſtabant cruenti lictores, inſatiabiles non ſolùm de victarum gentium ſpoliis, ſed de patronorum inſontium ſuppliciis.

VII.

Id eſt, ea loca, quę poſteà Burgundiones occuparunt.

Burgundionum ergo inuadentes confinia, ſuâ nimis inualeſcente ferociâ, omnium ferè eccleſiarum ſtrauerunt ædificia: Chriſtianos quoque ſua ſpernentes imperia, pœnâ ditarunt

runt vltimâ. Inſaniebant in eos ſæuiori veſaniâ, quos maiori cernebant vigere conſtantiâ; inuictáſque nitentes turres ſubuertere, hoſtiliori dimicabant certamine. Vnde factum eſt vt Beatum Deſiderium Lingonenſem Antiſtitem, virentem ac fructiferum vitis dominicæ palmitem, quia brutis noluit ipſorum obedire præſtigiis, numinibus ſcilicet vt litaret vaniſſimis, mucronis ictu ceruicis nudarent intimis. Memorabilem necnon & Valerium eiuſdem doctoris eximij diſpoſitum, quem ad Archileuitæ delegerat officium (à prophanis eò quòd omninò ritibus diſtulit animum) multimodis cruciatibus diſtortum, cœleſtis militiæ tironibus reddidêre conſocium. Chryſopolitanos autem in fines vt peruentum eſt, non minori exarsêre ferociâ: ſed parui pendentes cœpta primis certabant diſæquare vltima. Glorioſus itaque Antidius, cæde compertâ, variis in diuerſa cogitationibus reuoluens animum, plebis ſibi commiſſæ curioſè quærebat præſidium: ſed ſollicitationis ſumma vertebatur ad Dominum: meditabatur primùm ſeſe cum Clero intra mœnia vrbis inuictæ tutum hoſtibus poſſe reſiſtere, ſi dimicando mallet vlciſci barbarico ſanguine, quàm tormenta pro Chriſti pati nomine: recogitabat dehinc non quietis, ſed periclitantibus opus fore remige; non ſecuris, ſed trepidantibus, conſolatoris ſolamine: denique ſe prælio magis, quàm fugæ præparans, agmen vrbanum diuini verbi prædicatione corroborat, ſeque Euchariſtiæ ſacræ munimine firmans, benedictione fusâ foras ad opem ferendam progreditur. Feſtinat ergo curioſus paſtor iam vnius ouilis oues ſimul locare; affines pecorum greges imminentium impetu luporum territos eruere, proſtratos alleuare, diſperſóſque contrahere. Eſt autem oppidum ab vrbe decem

be decem milliariis diſtans, quod Rufiacus *dicitur; in quod quia non ſolùm muro, ſed etiam flumine ad montis radicem ſtagnante muniebatur, prouincialium plures deſertis vicis agitante metu confugerant. Ad præparandos itaque fidelium animos, quò maiorem plebis ſibi commiſſæ partem confugiſſe comperit (indubius ſcilicet quin hoſtium illic primùm illapſura foret atrocitas) vir venerabilis vt miles intrepidus occurrit.*

VIII.

Nondum in Patris & Magiſtri aduentu exultantium oppidanorum finierat ſonitus, cùm incurrentium vndique barbarorum audiebatur fremitus: at beatus Antiſtes iam ſui cernens tempus adeſſe martyrij, ſe pro ſuis hoſtiam Deo litare cupiens, filios incitabat, dicens: Nemo veſtrûm, fratres, à veritatis tramite deuians, mortis metu ab honore ſe glorioſi triumphi ſegreget: leuis enim eſt cruciatus, qui volucri cum tempore tranſiens, perennem reddit pro mercede quietem; nullum quoque pretioſius reor fore negotium, quàm ſi doloris citati merce, ſalutis æternæ ematur remedium, & exultationis perpetuæ gaudium. Eſtote ergo mei imitatores, quem vobis elegiſtis primicerium: quémque necis egregiæ, Deo fauente, videbitis eſſe principium: comitetur ergo mecum ad victimam qui ſuam Chriſto ſociare nititur animam. His & ſimilibus Chriſticolas inſtruens hortatibus, barbaris obuius exiit, ſupplicans & ſuadens, vt non ſibi, ſed plebi ignoſcerent, ſuæque crudelitatis modum vel in præſentibus traderent. Adhæc quidam Vvandalorum, ferali ſuccenſus veſaniâ cruentas in Chriſti famulum manus iam mentis inops audacter intulit, detraxit, ictibúſque crebris eum diuerberans,

rans, cuius profeſſionis vir teſtaretur, minaci voce requirit. Cui vir venerandus iam ſummi deſiderij munus parum impetratum comperiens, lætus reſpondit; Chriſtianæ religionis me fautorem profiteor, Chriſtique Crucis ſignum me geſtare glorior, quem verum & omnipotentem Deum fateor; cuius ad arbitrium poli voluitur ſphæra, terræ ſubſiſtit machina, maris reguntur ſpatia, cunctáque moderantur condita. Incenſus his amens barbarus, manus ſancti ceruici applicat, faciem alapis pulſat, vinctúmque manu vtraque veſano Iudici præſentare feſtinat.

IX.

Iudex igitur impius, vt in Chriſti famulum direxit intuitum, corporis ſtatim vultúſque ſpeciem conſiderans; cuius honoris culmine ſublimaretur, fateri iuſſit: cui beatus Antiſtes hilari voce reſpondens, dixit; Chriſtiani vocabulum ſi Chriſti iuxta vixero mandata, mei culmen honoris eſt: neminem enim ſublimiorem honoris gradu fore exiſtimo, quàm cunctipotenti Deo famulantem, ipſiúſque famulatus præmio gaudia in cœlis ſempiterna conſequentem. Tunc quidam indigenarum capti ante præſidem ducti, aliquid ſibi remedij in morte Pontificis præſtari ſperantes, ſceleris miſeri participes effecti, accuſantes, vt fertur dicebant; Caput hic eſt Chriſticolarum; plebs hunc omnis ſequitur, nouæque legis inſtructor, baptizati populi poſſidet Pontificium. Motus ad hæc tyrannus immitis, iuſſit inde rapi Pontificem, vt cunctis ſpoliatus amictibus, cruciaretur ictibus, ſi ſacris nollet litare numinibus. At cruentus carnifex, iuſſa magiſtri citis complens actibus, Dei viri inde remoti os, atque oculos cateráſque corporis compagines, fuſtibus flagelliſque tundens, omnia

crudeli

crudelitatis inſtrumenta, niſi Chriſtum ſuis litans aris,negaret, minabatur. Beatus autem Antidius, inter tormenta poſitus (quamquam hinc verbera, illinc gladius, non ſolùm ad pœnam, ſed etiam ad mortem ingerebantur) poſtquam corpus intumeſcens vulneribus, incuſſos flagellorum ictus nudis vix ferre poterat oſſibus; luminibus ſurſum directis conſtanti voce dicebat: O Deus omnipotens Genitor, ô Chriſte cum patre Deus, orbis conditor, ô Pneuma ſacrum Dei hominúmque mediator, qui ſimplex es in eſſentiâ, quem iuſtè trinum fatentur perſonarum vocabula, viſita quæſo mei corporis ergaſtula, vt mundialibus à vinculis tibi dicatus erutus ſpiritus, ſanguine ſui immolatus hoſpitij, cœlorum ſocietur ciuibus: rege Domine populum mihi commiſſum, ne quis illorum impatiens, pœnæ formidet faſtigium, vt incolumis numeri perfectum tibi ſoluam debitum. Tortoris ergo reſpiciens ora, dicebat: Perage miſer cœpta: Dominus autem mihi adiutor eſt: non timebo quid faciat mihi homo. Quod indignè ſanguine paſtus ferens mortifer, gladium à latere reuocans, viri beati caput ſingulari excuſſit ictu. Strata ſoli petunt exanimes artus puluerea, celſa poli penetrat ouans ſpiritus culmina, catervâ ſtipante cum tripudiis Angelicâ. Adfuerunt noctis in eiuſdem obſcuro properantes ab abditis viri Chriſticolæ, qui furtim collecta Beati Martyris membra extra caſtri prætitulati mœnia tumulo dederunt. Lugebat hunc multitudo Chriſticola (quam vinctam vrgebat manus barbarica) de nece magis Antiſtitis turbida, quàm de ſuo cruciatu territa: fleuit & mœſta Chryſopolis, virum obiiſſe fructiferum, quem paſtorem habuerat egregium, doctorémque præcipuum.

X. Quis

X.

Quis deinde exitus agmen furioſum ſit adſecutus,quæve pœna cruentis carnificibus ad vindicandas fidelium iniurias tradita ſit, intimari non piget. Diruto ergo prætitulato caſtro, incolis omnibus captiuatis, mortiſve nexibus conſtrictis, Croſcus cum omni ſubſequenti exercitu, ad expugnandam Chryſopolim cœpto furore feſtinat. Cuius impetum Chryſopolitani, loci ſitu ſiſi, audaci reſpuentes conamine, & militari ſpernentes certamine, furoris eius iram verterunt in rabiem. Vrbem denique diutinâ vallans obſidione, cùm nullâ poſſet inuicta mœnia, ciuéſque animoſos calliditatis arte ſuperare, oppidum ſuper vnum montium, haud longè circumfluentis amnis à margine ſitum, ad prohibendum ingreſſum vel ſeceſſum ciuium (qui nunc vſque Vvandalorum mons ab incolis nuncupatur) condidit. Quod etiam vrbani parui pendentes, beati Antidij magis interuentionibus protecti, quàm ſuâ valitudine defenſi, perſequentium euaſère perfidiam: quæ res barbaricæ crudelitati ingens fuit incendium. Ad vlciſcendas itaque Chriſtianorum contumelias tanta Barbaros inuaſit rabies, vt atrocitatem, quam in Chriſti plebem exercuerant, nutu diuino, in ſeipſos verterent, ſeque inuicem cædentes morti traderent.

X I.

Croſcus itaque cum Sueuis & Alanis Galliam Lugdunenſem peruagans, cùm Arelatum perueniſſet, iam maiori deſtitutus exercitu, captus à Mario Præſide, catenis nexus per plures, quas vaſtauerat, vrbes ad improperium reductus, victiſque victor ad vindicandas iniurias repræſentatus, poſt multorum cruciatuum tormenta,

 impiam

impiam vitam miſero finiuit obitu. Barbari autem qui cædi ſuperfuerant, amiſſo iudice quò quemque metus compellebat diffugientes, nec minima quidem ex eis pars reſtitit, vixque vllus fuit, qui captionis mortiſve pœnam liber poſſet euadere. Mortis etiam Beati Antidij fautores finitimos (domini ſcilicet & magiſtri, quia conſenſere in contumeliam) ita diuina protraxit vltio; vt luridi facti, & imbecilles, cunctiſque corporis penè viribus, & ſupellectilis ſupplemento deſtituti, calamitatem, quam in ſeipſos perpeſſi ſunt, ad facinoris perpetrati memoriam, & Beati Antiſtitis gloriam poſteris ſucceſſoribúſque ſuis, ſuo videlicet ex germine prodeundis relinquerent: videntur enim ex eorum editi ſtirpe, ad triceſimum vſque annum corpore vigere, opibúſque creſcere, poſt triceſimum verò viribus & facultatum ſolamine deſtitui, ſicque vitam inhoneſto funere finire. Quod quia ſceleris in Dei famulum commiſſi causâ, proteſtantibus eiuſdem contingere comperi, in huius teſtamenti ſerie digerere curaui.

XII.

Vas igitur electum ne traditum obliuioni vileſceret, néve inani frueretur ſolatio: à patre-familias detegitur, & magnæ vtilitatis honoríſque præmio, familiæ fruendum traditur. Plebe namque fidelium paulatim reuireſcente, tantis Dominus Beatum Antidium ſublimauit honoribus: vt quicumque languore detenti, impetrandi remedij gratiâ, tumulum eius adirent, quocumque morbo grauati angerentur, ſanitati redditi læti domos repeterent. Vnde cultu & reuerentiâ non minimâ habitus, baſilicâ ibidem ædificatâ, aliquandiu ibi conditus honorificè requieuit: Chryſopolitani verò poſthæc

poſthæc non ferentes, tanti muneris decus haud longè ab vrbe, non vrbano venerari cultu: ſui ſuaſione Præſulis animati, properãtibus vndique multis Chriſticolarũ agminibus, beati viri corpus inde remotum, Pontifice cum clero præeũte, cũ magno tripudiorum ſtrepitu, vndique laudibus hymniſque conſonantibus, in ſuam tranſtulerunt Chryſopolim, in monaſterium ſcilicet Beati Pauli Apoſtoli: Vbi etiam alia ſanctorum corpora requieſcunt. Ibi ergo iuxta baſem altaris, glorioſiſſimi antiſtitis reliquiæ, omni cultu & reuerentiâ reconditæ, multis, opitulante Deo, pollent miraculis: qui viuit, gloriatur, & regnat, in trinitate perfecta Deus per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

His omnibus addit vulgus ex traditione, Dæmonem S. Antidio ſuppoſitum, diſtichum quoddam fudiſſe, quod refert Robertus Cœnalis Epiſcopus Arboricenſis lib.1, Gall. hiſtor. perioch. 15, in hierarchiæ Gallicæ Topographiâ, vbi Archipræſulum quorumdam Epitheta multis ante ſua tempora ſæculis edita notans; *Biſuntinus*, inquit, *dignitate clarus eſt, ob miraculum ab eo perpetratum; Vndè carmen prodiit, quod appellant Sotadicum:*

Signa te ſigna, temerè me tangis & angis,
Roma tibi ſubitò motibus ibit amor.

Cum ſcilicet adiuratus Dæmon Archipræſulem deferret Romam. S. Sidonius Aruernorum Epiſcopus S. Antidio paulò poſterior libr. 9, epiſt. 14, quam ſcripſit *Burgundioni ſuo*, Pentametrum ſolum producit: *Interrogas,* ait, *per pugilatorem, quos recurrentes aſſeram verſus, vt celer explicem, ſed ſub exemplo; ij nimirum ſunt*

recurrentes, qui metro ſtante, neque literis loco motis, vt ab exordio ad terminum, ſic à fine releguntur ad ſummum; ſic eſt illud antiquum: Roma tibi ſubitò motibus ibit amor.

Vetuſtus membraneus codex de Archiepiſcopis, eadem prorſus habet, quæ M S. Eccleſiæ Metropolitanæ; & illud præterea, Beatum Antidium ex Canonico Biſontino, eximiæ ſanctitatis ergò in Archiepiſcopum electum fuiſſe: in eóque munere, tum alia permulta geſſiſſe admiratione digna; tum verò ſemel atque iterùm, Dominici Corporis è ſacrâ pyxide abſentiam, prophetico ſpiritu cognouiſſe. *Erat* (inquit antiquus auctor illius commentarij, quicumque eſt) *quidam Sacerdos in Diœceſi, Chryſopolitanus, qui cùm nimis feſtinus, & propter hoc magis improbus pergeret ad quemdam infirmum, causâ tradendi viaticum, nihil in vaſe recepit: cui occurrit Beatus Antidius, quærens ab eo, quò tenderet: reſpondit ſacerdos; Ad communicandum quemdam ego vado. Vir Dei Antidius Spiritu Sancto repletus dixit: vide quid vis facere, nihil enim habes in vaſe: quo ſic reperto, miratur ſacerdos Antidij Sanctitatem profundam, & mirabilem veritatem. Quadam aliâ vice, quidam alius Sacerdos, dum iret ad communicandũ quemdam, recepit in vaſe hoſtiam nõ coſecratã, loco Corporis Chriſti: quia hoſtiam ſacratam nõ habens, populo ſatisfacere, & ipſum decipere, defectúmque proprium velare ſic credebat: & dum pergeret, vt inceptum propoſitum adimpleret, obuius fuit ei glorioſius Antidius, igne feruido caritatis accenſus, dicens ei; Euchariſtiam non habes: immò, reſpondit Sacerdos, in vaſe habeo. Tunc Antidius, qui ſpiritu viuendo, ſpiritu*

ritu pariter ambulabat, dixit ei: ſcio quòd non portas Corpus Chriſti verum, ſed portas panem purum. Ad hæc Sacerdos, ſciens quòd verum diceret, inuenit ſe confuſum: quod Sacerdotem & populum in admirationem conuertit: & ex tunc populus Beatum Antidium in reuerentiam maiorem habuit, & timorem; multique ſeipſos retrahentes à defectibus, & ſpiritualibus firmiùs inhærendo, glorioſum Antidium mirabilem prædicabant. Hiſtoriam de Sancto Præſule, Romam dæmone vecto, atque inde reuecto, eodem ferè modò narrat: quæ verò ab eius reditu cõtigerint, ſic exponit. *Cùm ergo Beatus Antidius Chryſopolim veniſſet, inuenit chlamydem ſuam, totam niue & gelu conſperſam; quod multos in admirationem conuertit: & cùm ab eo quæreretur vnde veniſſet, nemini voluit indicare. Intereà Papa, huiuſmodi mirabilium admiranda conſiderans, miſit Chryſopolim ad ſciendum, vtrùm Archiepiſcopus extra ciuitatem fuiſſet, & quando; maximè illis temporibus, & diebus, quibus ipſi Papæ oſtenſum eſt miraculum ſupradictum: & ſic repertum eſt, quòd à craſtino Palmarum vſque ad ſequens ſabbathum (quod eſt vigilia Paſchæ) præſens nõ fuerat Beatus Antidius in prædictâ ciuitate. Et quãuis per totam illam hebdomadam non comediſſet, nihilominus ſemper vultu hilaris, & decorus, vt priùs apparuit. Et cùm Papa facti veritatem cognoſceret, gratias egit Deo de tantâ gratiâ ſibi factâ per Beatum Antidium, & de ſuâ liberatione à Diabolo iniquo & doloſo. Fertur autem quòd extunc Papa aſſurgit ad præſentiam Archiepiſcopi Chryſopolitani in memoriam ſupradicti miraculi; quod non eſt aſſuetus facere in præſentiâ Prælati cuiuſcumque. Rexit igitur glorioſus*

rioſus Antidius eccleſiam Chryſopolitanam (poſt regreſſum eius de Româ) per modicum ſpatium temporis, multis ſignis & prodigiis clareſcendo. Sæuiebat verò tunc peſtis Vvandalica, &c. pergit enarrare de Veſontione à Vvandalis Croſco duce obſeſsâ: quos dicit in monte, qui trans Dubim eſt ad Orientem (is eſt veteri nomine *mons Delij*, prope Brigillam, ex eo tempore *mons* quoque *Vvandalorum* dictus) caſtra primùm collocaſſe: ac deinde attento loci vel arte vel naturâ munitiſſimi ſitu, id conſilij cepiſſe, vt propugnaculo, ſeu caſtro, in quod ſeſe reciperent, in eo monte excitato, variis excurſionibus ſimul pertentarent quid animi eſſet ciuibus, ſimul intercluſo commeatu, ac cibariorum obſeſſis vndequaque aditibus, eos ad deditionem compellerent. Laborabant obſeſſi ciborum inopiâ (quippe eò ad ingentem numerum ſecuritatis ergò è totâ Prouinciâ confluxerant) cùm B. Antidius iumenta quatuor, quæ illi obuia fiunt, tritico onuſta, ſiſti iubet; & inuocato Numine triticum auget egregio miraculo, vt alendo populo frequētiſſimo ſatis fuerit. Sed non fuit optimo Paſtori ſatis, niſi ſe ipſe pro ſui gregis incolumitate victimam mactandam daret. Habitâ ad populum oratione pro foribus Metropolitanæ baſilicæ S. Ioannis, egreſſus è ciuitate, ad *Caſtrum Ruffeyum* (locum id temporis munitiſſimum, in quem permulti ſeceſſerant) ſe contulit, ac paulò poſt comprehenſus à barbaris, & dirè trucidatus eſt. Illud verò mirandum accidit, vt præciſum à reliquo corpore Martyris caput, lau

put, laudem Deo diceret, & abſque pectore, abſque pulmone ac faucibus, vno Omnipotentis nutu vocem lingua formaret. Quo prodigio attoniti Vvandali, ac furore amentes, quos anteà in pium gregem, in ſuorum deinde capita ſtrinxêre gladios, ea rabie, vt intra perbreue tempus, ad mediam circiter partem mutuâ internecione deleti ſint. Quâ de causâ Dux Croſcus, eo ferè capto conſilio, *fugiamus Iſraëlem, Dominus enim pugnat pro illo contra nos*, ſolutâ obſidione, collectíſque copiis ex illâ vaſtitate, Viennam versùs contendit, & à *Mario* tandem apud Arelatem captus interiit. Hæc antiquæ illæ membranæ, etſi aliis verbis, certè eâdem ſententiâ: quæ ideò retulimus, quòd in hiſtoriâ ſuperiùs deſcriptâ, vel omiſſa ſunt, vel alio ordine narrata.

Illud verò contigit non raró, vt quibus vel caput, vel lingua præciſa eſt in Chriſti contumeliam, iis nec verba defuerint: luculẽto ſanè teſtimonio, quòd ab ipſis fidei veritas ac certitudo ſtaret; quibus ſummus Deus veritatis parens, & ipſe æterna Veritas, ſublatis humanæ vocis organis, vocem tamen tanto miraculo daret. Plenæ ſunt his exemplis Martyrum hiſtoriæ; id conceſſum *Euſebio* Martyri, *Aigulpho* Lirinenſi Abbati, ac ſociis, *Placido* monacho, *Parmenio*, de quo in actis S. Laurentij, *Leodegario* Auguſtodunenſi Epiſcopo, *Aniceto* Nicomediæ Comiti, prætereáque vni de generoſis illis ſeptem fratribus Machabæis Ambroſio teſte, & aliis plurimis, vt paſſim animaduertere eſt in actis Martyrum.

autem ſimile vero, *Croſcum* Ducem, à quo paſſus eſt Antidius, traiecto Rheno vltimâ die anni 406, hàc illàc cũ exercitu aliquamdiu diſcurriſſe per Gallias: nec niſi anno 408, aut409, Chryſopolim aggreſſum, 408.
B. Antidium Martyrem effeciſſe. Certè Oroſius illo- 409.
rum temporum ſcriptor, & quo viuente hæc geſta ſunt, cùm libro ſeptimo refert, Hiſpanias à Vvandalis fuiſſe occupatas; mox ſubiungit, eos qui Hiſpanias obtinebant, patefactis Pyrenæi clauſtris, barbaras gentes, quæ per Gallias tunc vagabantur, in Hiſpaniarum Prouincias immiſiſſe. Contigit autem primus Vvandalorum in Hiſpanias impetus, anno Chriſti 409, (*vide Baronium eodem anno*:) igitur anno 409, Vvandali qui ab anno 406, cis Rhenum in Gallias venerant, eas adhuc infeſtas habebant. Et ſanè antiquiſſima & ſinceriſſima, quæ dedimus, acta S. Antidij, eius Martyrium referunt in tempora Honorij & Theodoſij: annus verò 408, fuit vtriuſque ſimul imperantis primus.

Cæterùm adhuc ſupereſt *Ruffaci* turris, quam hodiéque indigenæ, *S. Antidij turrim* vocant: ſiue, vt quidam dicunt, quòd in eâ fuerit à Vvandalis incarceratus; ſiue etiam quòd ea turris, ex veteri Archiepiſcoporum apud *Caſtrum Ruffacum* palatio, à S. Antidij temporibus diruto, huc vſque perſeuerarit.

Quo verò anno, vel à quo Archiepiſcopo Biſontino, S. Antidij corpus Veſontionem tranſlatum ſit, & in B. Pauli baſilicâ repoſitum, tacet tranſlationis hiſtoria. Meminit certè Hugo primus in illo ſuo

inſtrumento dotationis Canonicæ S. Pauli (quod *Hugonis primi teſtamentum* vocant) dato ad annum 1044, 25 Martij, S. Antidij iam in eâ B. Pauli eccleſiâ quieſcentis: & vero ſimillimum puto, eam tranſlationem ab ipſomet Hugone eccleſiæ S. Pauli reſtauratore factam, eo ipſo die, quo reædificatam baſilicam ſolemni ritu dedicauit 24, Ianuarij, duobus ante illam dotationem menſibus. Id adducor, vt credam, quòd in Martyrologiis S. Ioannis & S. Pauli, eadem dies menſis Ianuarij vigeſimaquarta, & dedicatæ S. Pauli baſilicę, & tranſlato S. Antidij corpori ſacra habeatur: ſic enim in eis leges; IX *Kal. Febr. Biſontij Dedicatio eccleſiæ S. Pauli, & tranſlatio corporis S. Antidij*: quod non obſcurè ſignificet, non modò eâdem die poſterioris alicuius anni, ſed eâdem die anni eiuſdem, ſimul importatum in eam eccleſiam, S. Antidij corpus: ſimul eam, ſub B. Virginis, ac S. Pauli, & B. Antidij patrocinio, ab Hugone Archipræſule dedicatam. Dedicationis ipsâ Ianuarij 24 die, per *Hugonem I.* factæ monumentum proſtat in veteri rituum Codice S. Pauli, vbi hæc habentur: *In nomine Domini Amen. Altare S. Mariæ & S. Pauli dedicatum in honore Spiritus Sancti, S. Mariæ, S. Pauli, & Sanctorum Innocentium, in quo continentur reliquiæ de capillis S. Ioan. Baptiſtæ, reliquiæ S. Antidij Martyris & Archiepiſcopi noſtri; de corpore S. Germani Martyris & Archiepiſcopi Biſuntini; de cucullâ B. Leodegarij Martyris; de corpore B. Ermenfredi Abbatis; Reliquiæ S. Benigni Martyris; Vrſicini Cõfeſſoris; Hilarij Epiſcopi; Cæſarij Epiſc. Innocentum*

centum; Ioannis Euang. Largi, & Iachi: dens etiã S. Martini Archiepiſc. Altare, quod eſt ſitum retrò hoc maius altare, conſecratum eſt in honore S. Antidij Martyris, S. Ioan. Euange. omniúmque Martyrum. Altare quod eſt ſitum ab Aquilone dedicatum eſt in honore S. Vincentij Martyris, Gregorij Romani Pontif. Ermenfredi Abbatis; in quo continẽtur reliquiæ S. Martini Epiſc. Cæſarij Epiſc. Romani Martyris; Benigni Mart. Altare ab Auſtrali plagâ, conſecratũ eſt in honore B. Stephani Protomart. S. Ambroſij; S. Hieronymi; in quo continentur reliquiæ S. Protomartyris Stephani; Ermenfredi Abbatis. Hæc autem dedicatio Eccleſiæ ſiue altarium facta eſt per manus Domini Hugonis Archiepiſcopi Biſuntini IX *Kal. Februarij.*

Extat pone altare maius S. Pauli, antiquus tumulus lapideus S. Antidij, qui circum Epiſcopi decumbentis, in plano inſculptá effigiem, ſic inſcriptus eſt:

CORPVS BEATI ANTIDII EGREGII
MARTYRIS FVIT A RVFFEIO
TRANSLATVM, ET IBI POSITVM,
QVI PRO NOBIS ORET. AMEN.

Vt verò ex eo tumulo elatum ſit, & in eleganti capſâ collocatum anno 1360, dicemus in *Ioanne de Viennâ.*

De hiſtoriâ verò S. Antidij Romam vectore dæmone profecti, adeò multa ſunt certáq; monumenta, vt eam vel vt ſpuriam reiicere, vel reticere vt indecoram, nec hiſtorici eſſe putem, nec æqui rerum æſtimatoris. Eius certè veritatem adſtruunt, pri-

mur verò Illuſtriſſimum Cardinalem Baronium, cùm in notis Martyrologij Romani, 25 Iunij, hiſtoriam hanc relatam à Sigeberto, *quòd magiam*, inquit, *potiùs, quàm pietatem redoleat*, apocrypham eſſe dicit, ac meritò reiiciendam; cùm *ea* (vt eſt in breuiario Claudij *à Baumâ*) *nulli ſupra fidem videri debeat, poſtquam Chriſtus ipſe à Diabolo ſupra montem excelſum, & ſupra templi pinnaculum delatus eſt.* Magis certè vltrò obtemperant dæmones ex pacto nefario; ſed & Sanctis parent vel nolentes, non pacto inducti, quin potiùs eius imperio, cui quondam reuerſi diſcipuli, illud magno ſuo gaudio retulerunt; *Domine etiam dæmonia ſubiiciuntur nobis in nomine tuo.* Pontificem verò, quem vt commonefaceret S. Antidius, Romam contendit, Petrus de Natalibus & Marulus locis citatis, *Zozimum* vocant: alij ex temporum rationibus contendunt vix alium eſſe potuiſſe ab *Innocentio*, quem etiam putant, S. Antidij commonitione permotum vel maximè, vt eam in poſterum vitam ageret, ob quam inter Sanctos confeſſores ad quintum calendas Auguſti meritò cenſeretur. Neque eſt quod hîc ſannas edant Barbari, qui à Romanis ſignis deſciuêre: quaſi exuere hominem ſit, purpuram Pontificiam ſumere; aut nequeat illa Petro eiuſque ſucceſſoribus promiſſa certitudo in decernendo, cum humanæ vitæ noxis complicari: ſed hæc Theologis relinquimus. Illud quoque peccatum, ipſius Sanctitati derogare nemo dixerit; niſi qui in Dauide, Paulo, Magdalenâ, Auguſtino, aliiſque è vitiorum cœno ad Lucæ 10.

eximiæ

eximiæ ſanctitudinis ſplendorem eductis, aliquam etiamnum ex priſtinis ſceleribus, propitiâ Dei manu expunctis, hęrere maculam putet: aut non intelligat, ſtimulorum inſtar fuiſſe illis anteactæ vitæ recordationem, quibus ad eam puritatem (quam vix alioquin adepti fuiſſent) concitarentur, dum plus diligerent, quibus plus dimiſſum erat. Ea nempe eſt mutatio dexteræ excelſi, ea diuinæ ſapientiæ chymica, vt è malis bona educere, & peccata quodammodo in virtutes conflare norit.

XIV.

SANCTVS LEONTIVS.

SANCTVM Leontium clariſſimâ, adeóque Regiâ familiâ natum, longè fuiſſe propriâ virtute clariorem tabulæ noſtræ teſtantur. Per annos vigintiquinque, Eccleſiæ Biſontinæ præfuit: è quibus ne vnum quidem ſibi abire paſſus legitur, quo eccleſiam aliquam, vel de nouo exſtructam, vel inſtauratam, aut aliud pium opus, pietatis ſuæ & magnificentiæ monumentum nō poſuerit. Eccleſiam ſuam Biſontinam, quæ ruinam minabatur (ea erat baſilica SS. Ioannis & Stephani, à centum circiter annis, B. Helenæ ſumptibus reædificata, ſed forſan opere ad diuturnitatem non valde firmo) ſolo æquatam, de integro dicitur excitaſſe

citaſſe ampliore formâ; eiúſque *clauſtrum, refectorium, dormitoriū*, ac cæteras regulares officinas, cōmodiùs ad quoſcūq; vſus reſtituiſſe. Nouam præterea *Laurētio* Martyri conſtruxiſſe non longè à ponte ciuitatis. Quin & Monaſterium in ſummo Dianæ colle erexiſſe, quod poſteà dirutum *à Vvandalis*. Vvandalorum nomine, Hunnos Attilâ Rege, circa annum 451, aut 453, per Gallias effuſos, hîc intelligi puto (quod frequens eſſe apud Hiſtoricos, monui in Antidio:) ſiquidem Leontium priori illâ Vvandalorum irruptione, in quâ S. Antidius fortiter pro Chriſto occubuit, poſteriorem ideò fuiſſe exiſtimo, quòd 25 annis ſediſſe dicatur: Frominius verò adhuc ſub Siricio Papâ vixerit, cuius annus primus eſt Chriſti 385: tum à Frominio præfuerint Sancti Deſideratus & Germanus; ac deinde Antidius Martyrio coronatus ſub Vvandalis Duce Croſco, circa annum 409. Quæ cùm ita habeant, non eſt certè locus Leontio, niſi poſt Antidium.

Demum curata re eccleſiaſticâ, & auctis ſacrarum ædium vaſis atque ornamentis, exceſſit Leontius, ſepultúſque eſt in eccleſiâ S. Stephani. Creditur iacere in ſacello S. Agapiti, vt mox dicemus in Celidonio.

X V.

SANCTVS CELIDONIVS.

DE Celidonio agit S.Leo Papa, epiſtolâ octogeſimâ ſeptimâ, ad Epiſcopos Prouin-
445. ciæ Viennenſis; quam anno Chriſti 445 ſcriptam, colligi videtur ex reſcripto Valentiniani Imp. ad Aëtium agentem in Galliâ Magiſtrum militiæ, quod habetur inter nouellas Theodoſij, poſt codicem Theodoſianum tit.24, de Epiſc. ordin. Id enim reſcriptum datum conſtat anno 445, 8 Idus Iunij, in causâ Hilarij Arelatenſis, recens à S. Leone Papâ Romæ damnati. *Vide Baron. anno* 445. venerat ſcilicet Veſontionem Hilarius Arelatenſis Epiſcopus cum S. Germano Epiſcopo Altiſſiodorenſi; cúmque vir alioquin integer, quíque etiam in Sanctorum canonem relatus eſt, tamen præter omne ius, *ordinationes ſibi omnium per Gallias Eccleſiarum vindicaret* (vt ait S.Leo) *& debitam Metropolitanis ſacerdotibus in ſuum ius träsferret dignitatem*, Celidonium, cuius nomen de bigamiâ delatum fuerat, depoſuit: qui cùm ad S. Leonem Papam prouocaſſet, re maturiùs diſcuſsâ, *abſolutus eſt Celidonius Epiſcopus* (verba ſunt S. Leonis, epiſt. 87,) *quoniam ſe iniuſtè ſacerdotio fuiſſe deiectum, manifeſtâ teſtium reſponſione, ipſo* (Hilario) *etiam præſente monſtrauerat: ita vt quod Hilarius nobiſcum*

nobiſcum reſidens poſſet opponere, non haberet. Remotum eſt ergo iudicium, quod prolatum in hac ſententiâ legebatur; quod tamquam viduæ maritus ſacerdotium tenere non poſſet: & paulò poſt: *Redditus itaque eſt Eccleſiæ ſuæ, & huic, quam amittere non debuit dignitati Coëpiſcopus noſter Celidonius: ſicut geſtorum ſeries, & poſt decurſam cognitionem ſententia, quæ à nobis eſt prolata, teſtatur.* Hæc Pontifex; quæ aliquandiu dubitaui, num de Celidonio Biſontino dicta eſſent: maximè cùm legiſſem apud Baronium (anno 445, num. 13.) Celidonium illum, de quo Leo Papa, Epiſcopum fuiſſe Prouinciæ Viennenſis: tametſi id ex illâ epiſtolâ colligi non poteſt: & ſatis conſtat, Biſontinum Metropolitanum, nec Lugdunenſi, nec Viennenſi, nec alij cuiquam Primati fuiſſe ſubiectum. Sed omnem hæſitationem ſuſtulit peruetuſtus codex Monaſterij Iurenſis (quod nunc *à S. Claudio* vulgus appellat:) vbi, in rebus geſtis SS. Romani & Lupicini, legitur Hilarius Arelatenſis deturbato de ſuâ dignitate Celidonio Biſontino Epiſcopo, S. Romanum Veſontione presbyterum conſecraſſe. Placet ipſa antiqui auctoris anonymi verba proponere. *Auditâ namque memoratorum* (Romani videlicet & Lupicini) *famâ, Sanctus Hilarius Arelatenſis Epiſcopus, miſſis in causâ clericis, beatiſſimum Romanum, haud longè ſibi à Veſontionenſi vrbe fecit occurrere; cuius incitamentum, vitámq; digniſſimâ prædicatione ſuſtollens, impoſito honore presbyterij, ad Monaſteriũ honorificè repedare permiſit. Siquidem antedictus Hilarius, Venerabilem Celidonium ſupradictæ Metropolis Patriar-*

cham, Patritio, Præfecturióque fultus fauore, indebitam ſibi per Gallias vindicans monarchiam, à ſede Epiſcopali, nullâ exiſtente ratione deiecerat. Ob quod in audientiâ Beatiſſimi Papæ Leonis, Romæ malè geſſiſſe conuictus, reſtituto quoque in Epiſcopatu Celidonio, Apoſtolicâ auctoritate ob vſurpationem inlicitam regulariter eſt increpatus. Hæc ibi. Hilario verò comitem adfuiſſe Veſontione *Germanum Altiſſiodorenſem*, fidem facit in vitâ S. Hilarij antiquus auctor, qui ſe eius exequiis interfuiſſe dicit, creditúrque eſſe Honoratus Epiſcopus Maſſilienſis: refertur in Chronologiâ Lerinenſi: *In excurſibus autem*, inquit, *quis vt dignum eſt explicabit, quantum eius præſentia profectum contulerit ciuitatibus Gallicanis? Sanctum Germanum* (Altiſſiodorenſem) *ſæpius expectando; cum quo ſacerdotum, miniſtrorúmque vitam, necnon profectus, exceſſuſquè tractabat. Vbi eius aduentus innotuit* (nẽpe Veſontione,) *flammata ad vtroſque, nobilium & mediocrium ſtudia conuolarunt, aſtruentes Celidonium internuptam ſuo adhibuiſſe conſortio: quod Apoſtolicæ ſedis auctoritas, & canonum prohibent ſtatuta: ſimul ingerentes ſæculi adminiſtratione præfecto capitali aliquos condemnaſſe ſententiâ. Tantæ rei nouitate permoti, teſtes impetrant præparari: conueniunt ex aliis locis probatiſſimi ſacerdotes: res omni ratione, prudentiáque diſcutitur, accuſatio teſtimoniis confirmatur. Adhibetur vera ſimpléxque definitio, vt quem ſcripturarum regulæ remouebant, voluntate propriâ ſe remouere deberet. Ille vrbem credidit expetendam; ibique ſe iniuſto rigore aſtruit condemnatum, &c.*

Exſtat inſuper in Eccleſiâ Biſontinâ, Celidonij Epiſco

Epiſcopi celebre monumentum, aduentus brachij S. Stephani Veſontionem, cum aliis permultis ſacris pignoribus à Theodoſio Secundo miſſi: & prodigium inſigne manantis ex brachij oſſe cruoris: quæ vt ſincerius referamus, habe ipſa verba lectionum eccleſiaſticarum S. Ioannis, & S. Stephani.

Auditâ corporis S. Stephani reuelatione (ea contigit anno Chriſti 415, malè quidam anno 417. vide Baronium) *Imperator Honorius gauiſus eſt maximè, quia erat Chriſtianiſsimus: mandauitque quamcitiùs Ioanni Papæ (is enim eâ tempeſtate patriarchabatur Ieroſolymis) vt ſibi tranſmitteret partem pretioſiſſimi theſauri à ſe reperti; videlicet de corpore Protomartyris Stephani. Qui deuotè complens Imperatoriam iuſſionem, miſit ei brachium S. Stephani, ſecundùm Chriſtianam meritò venerandum religionem. Ille verò accipiens deuotiſſimè munus tam optabile, detulit illud Romam; id portans voti, vt in honore Domini, & eiuſdem Martyris deuotione conſtrueret eccleſiam: ſed non compleuit opere quod conceperat voluntate. Statim verò exutus homine eſt egreſſus viam carnis, ex more: cuius cùm ſuſcepiſſet Imperium nepos illius minor Theodoſius, ſicut fuit Imperij, ſic cœpit eſſe bonæ voluntatis ſui anteceſſoris & hæres. Cumque id ſatageret, vt voluntati opus maturaret, oſtenſum eſt ei per ſomnum, Beati Stephani brachium (quod penes ſe erat reconditum) vt tranſmitteret Veſuntium, in eccleſiam eiuſdem Martyris, quam olim in eadem vrbe amplificauerat donis & beneficiis Regina Conſtantini mater Helena: indéque fore Eccleſiis Galliæ futuram per interuentum Protomartyris protectionem apud Dominum aſſiduam.*

Quâ viſione Imperator compunctus, & tamen nolens repugnare Dominicis iuſſionibus(erat enim Deo deuotiſſimus)fecit quod ei mandatum fuit diuinitùs: eâ vtique tempeſtate Celidonius Præſul erat in ciuitate. Contigit verò per idem tempus, dum hæc gerebantur, ante quàm Legati Theodoſij cum reliquiis peruenirent ad vrbem, decem Galliæ Epiſcopos reuelatione diuinâ fuiſſe commonitos, ad vrbem properare concito itinere, vt ſanctarum reliquiarum poſſent participare. Qui, vt eis iuſſum fuerat, venientes Chryſopolim, cauſam ſui aduentus vnuſquiſque neſciente alio, indicauit vrbis Epiſcopo. Horum omnium quoniam vna fuit confeſſio, maxima fuit in Præſule admiratio: coactiſque in gregem retulit vniuerſaliter, quod ab eis didicerat ſingulariter, quantáque in commune eis tunc fuit lætitia poteſt argumentari bonorum intelligentia, quia adeſſe ſe ſenſerant communiter, Dei voluntate & prouidentiâ.

Tertio nonas Auguſti, die ſcilicet quo celebratur reuelatio eiuſdem Beati Protomartyris Stephani, Proceres Imperatorij venientes Chryſopolim nunciauerunt Gallæ Patriciæ ex Regis præcepto, quia ille diſpoſitioni tantarum reliquiarum non poterat intereſſe, vt illa faceret ſui vice ex eis, ſecundùm quòd per Legatos cognoſceret ſuum velle: erat enim Regis conſanguinea, & ad deuotionem ſuam Princeps in eâdem patriâ. Hæc cum Epiſcopis, & Clero, deuotiſſimóque populo quamſolemniter fuit obuia ſanctis reliquiis. Non eſt facile, vt dicat aliquis, lætabantur Epiſcopi de viſitatione Domini, & Stephani: gaudebat Clerus, quia eis aderat deſtinatus à Deo patronus: plaudebat omnis ſexus & ætas, perſoluendo Deo in commemoratione Beati Stephani laudes debitas.

debitas. Quanta, & qualia impræſentiarum Dominus tunc fecerit miracula, nullius valet enarrare lingua (arridebat enim ſanitas, cui erat qualiſcunque infirmitas:) de quibus tamen vnum hîc cenſuimus inſerendum. Igitur poſtquam deductæ fuerunt reliquiæ, nec tamen adhuc reconditæ, Epiſcopi qui aduenerant, cœperunt inter ſe quærere, qualiter poſſent de brachio S. Stephani habere: videbatur enim horribile, oſſa brachij confringere: ſed quia aderant Dei reuelatione, iterum viſum eſt venialiter poſſibile. Tunc Sanctus Celidonius Archimandrita, accipiens forcipes, quas fabri vocant vulgò tenalias, à tenendi officio; cœpit ex his maius os brachij mordaciter ſtringere: ſic enim cenſuerant ſe poſſe parciùs & cautiùs frangere, vt factis particulis Epiſcopi valerent participare. Stringente verò os Archiepiſcopo, defluxit ex eo ſanguis recentiſſimus, tam largè, vt diceres ibi adeſſe Beatũ Stephanum viuentem in carne. Quo viſo qui aderant, perculſi nouitate miraculi, in ſemet corde tenùs conuerſi, ex ardore ſpiritus, lacrymarum obtulerunt holocauſtum; ad poſſe reddentes Deo gratias: ſicque non ſolùm Epiſcopi, verùm etiam fideles quamplurimi ſunt ſanguine participati: repedantibúſque ad propria, plebs ſuæ cuiuſque Eccleſiæ occurrebat quamdeuotiſſimè, gaudentes de Beati Stephani ſanguine, & per ipſum in perpetuum à Deo conceſsâ benedictione. Galla verò Patricia vnà cum Præſule Celidonio, oſſa brachij Protomartyris accipiendo, maius condiderunt ſub altari, quod erat in baſilicâ ſui nominis principali; minus verò ornauerunt gemmis, & auro, ad inſtar humanæ manus opere facto, vt in diebus opportunis ab Epiſcopo acciperetur, & plebs ab eodem per ipſum Crucis ſignaculo muniretur. Miſerat

ſerat etiam ſupradictus Imperator Theodoſius cum Beati Stephani brachio, aliarum reliquiarum maxima munimina: videlicet Beatæ Mariæ pectinem, & eius capillorum aliquid: cingulum quoque Dominicum: Sanctorum necnon Martyrum corpora Epiphanij, & Iſidori; quæ cum magnâ reuerentiâ, & honore conuenienti, ſarcophagata ſunt in eccleſiâ B. Stephani, videlicet eò loci, vbi fons aquæ viuæ ab ipſis terræ meatibus euiſceratur.

Hæc ex codicibus Eccleſiarum, quæ inter diuina officia quotannis recitari ſolent: in quibus etiam ſequens Hymnus perantiquus, de iiſdem Reliquiis continetur, in feſto SS. Epiphanij & Iſidori cani ſolitus:

Laudemus Epiphanium,
Demus mūdum præconium,
Pangat chorus noſter melos,
Tangat dulcor cuius cœlos:
Iſidoro cauſa pari
Laus à choro debet dari,
Non funebri Tragœdiâ,
Sed celebri melodiâ.
Hi deuotè toti tui,
Chriſte pro te ſunt mortui,
Hæc profectò pleniſſima
Oſtenditur dilectio,
Pro dilecto dum anima
Exponitur Martyrio.
Sic Stephani debet cani
Egregium martyrium;

Militum Chriſti præuius
Meritum habet celſius:
Huius latum os brachij
Ornat ſtatum Biſuntij.
Magnificemus Virginem
Cuius habemus pectinem,
Crines, Cingulum filij,
Sui cumulum gaudij,
Excedit rerum ordinem
Quæ dedit Deum hominē.
Innocentum Reliquiæ
Sunt augmentum lætitiæ;
Hi ſanguine baptiſati
Sine fine ſunt beati.
Hæc præfata ſimul data
Sunt incolis Chryſopolis

A pia

A pio Theodoſio.
O quàm bonum fuit donum,
Quanta præſens Eccleſia
Tanta habens iocalia:
Quorum adeſt ſolemnitas,
Horum iuuet nos ſanctitas,
Vt conſequamur gratiam,
Adipiſcamur gloriam;
In quâ veræ diuitiæ
Sunt & veræ delitiæ,
Faſtigia concordia
Præconia perennia. Amen.

His conſentiunt aliæ Biſontinæ Tabulæ, ex quibus conſtat *Caput S. Agapiti Martyris*, cum ſupradictis Reliquiis per Theodoſium miſſum, vt infrà dicemus in *Valtherio I, & Hugone I.*

Illud autem clementer interpreteris velim, quod minor Theodoſius Honorij Imperium ſuſcepiſſe dicatur: etſi enim regnante in Oriente Theodoſio, Occidentis Imperium Valentiniano tertio adhuc puero ceſſit poſt Honorium: cùm tamen per ætatem eas explere partes non poſſet, ſumma vtriuſque Imperij diu penes vnum Theodoſium fuit, qui Conſtantinopoli Regiam habebat: quem conſtat ea ſacra munera Veſontionem miſiſſe, ſiue ea Conſtantinopoli deportata ſunt, ſiue (quod vero ſimilius eſt) ex Italiâ de ipſius mandato. Sanè brachium Protomartyris Romę relictum ab Honorio indicat relata hiſtoria: & Agapiti apud Præneſte Italiæ Ciuitatem Martyris caput, non aliunde, quàm ex Italiâ videtur aſportatũ; idq; agente Gallâ Placidiâ Valentiniani III matre, quæ cum filio in Occidente regnabat. Nam hanc ipſam eſſe, quæ in Biſontinis codicibus conſtanter *Galla Patricia* appellatur; liquet tum ex *Patriciæ* nomine, quod Principem fœminam,

ſeu Imperatricem ſonat (non alia quippe *Galla* eó tempore *Patricia* fuit,& in Occidéte Princeps,quàm *Placidia*:) tum ex eo quòd *Galla Patricia* Theodoſio Iuniori ſanguine iuncta dicitur: eius verò amita fuit Placidia, ſoror Arcadij,(quo patre natus eſt Iunior Theodoſius,) Chriſtianorũ Cęſarũ & mater, & ſoror,& filia, cuius hic extat nũmus aureus cruciatus,



Athaulphi Viſigothorum Regis primùm vxor, deinde Conſtantij Cæſaris, ex quo Valentinianum ſuſcepit: de cuius religione ac pietate Oroſius hiſt. lib. 7. cap. 43, Ado Viennenſis Chronicorum ætate ſextâ, & Conſtantius in rebus geſtis S. Germani Altiſſiodorenſis. Abrahamus Bzouius annal.eccleſiaſt.tomo 14, qui ſecundus eſt continuationis Baronij, anno 1336, num. 27, *Diuam Placidiam* vocat, & eo anno miraculum apud Rauennates per eam patratum refert, ex Tabulario Rauennate. Quanquam autem eam Veſontione verſatam fuiſſe conſtet, cùm illi venêre à Theodoſio legati; Rauennæ tamen morari

ſolitam

ſolitam colligitur non obſcurè, tum ex citato Conſtantio, in actis Sancti Germani, tum ex aliis hiſtoricis.

Quod verò hîc dicitur, corpora SS. Epiphanij & Iſidori, collocata eſſe in eccleſiâ S. Stephani, (nunc S. Ioannis,) eo loco ſita, *vbi fons aquæ viuæ ab ipſis terræ meatibus euiſceratur*; hoc indicat eo tempore fontem illum, à pago *Arcie* in ciuitatem decurrere ſolitum; ideóque diſruptos non fuiſſe aquæductus à Vvandalis duce Croſco, cùm S. Antidius Martyrium ſubiit: ſed fortè id factum eſt ab Attilæ copiis, à quibus etiam deleta eſt Veſontio.

Porrò caput S. Agapiti Prænestini Martyris, Celidonius in medio choro ſuperioris eccleſiæ condidit, grandibus ſaxis impoſitis, & deſuper erecto altari: ſed multis poſt ſæculis Hugo Primus inde erui iuſſit, vt dicemus ſuo loco. Hocque, & cæteræ à Theodoſio miſſæ reliquiæ, cum aliis permultis, Veſontione hodiéque piè aſſeruantur. Et *Cingulum* quidem *Saluatoris*, *ſanctam Chriſti Sindonem* (quâ diues eſt Biſontina Eccleſia) interpretantur aliqui, ſed nullo fundamento: quòd enim quidam aiunt, *cingulum* & *ſindonem* ſynonima eſſe, ex illo Prouerbiorum 31, *ſindonem fecit, & vendidit, & cingulum tradidit Chananæo*, friuolum eſt: ſanè prætérquàm quòd id nullo planè auctore dicitur, eum ſenſum ex vi vocum ſeu Græcarum, ſeu Latinarum, ſeu etiam Syriacarum, nemo vnquam deduxerit: & quicquid ſit, Cingulum illud Chriſti, à Theodoſio miſſum (quod propriiſ-

ſimè *cingulum* eſt, ſeu *zona* quędam) habetur ſaltem ex parte, in argenteâ lipſanothecâ, in ſacrario S. Ioannis.

Cæterùm hiſtoriam & miracula *Sacroſancti Chriſti Sudarij* (quod in Chryſopolitanis S. Stephani ſacrariis habetur) toto orbe celeberrimi, attingere hoc loco non duximus operæ pretium. Satis conſtat, voto ad pretioſum hoc linteum nuncupato, Veſontionem peſte liberatam, curatos paralyticos; lucis vſuram perſæpè cæcis redditam; animam agentes, & in mortis confinio poſitos, magno omnium ſtupore incolumitati reſtitutos. Quin & apud omnes in cõfeſſo eſt, ex eâ Syndone, diuinum neſcio quem ſplendorem emicare, qui ſanctum quemdam horrorem ſpectantibus afferat: & cùm pluries tentarit eam pictor imitari; ſic tamen perſtrictos eius oculos, vt ſacra ſtigmata, & ſanguineæ notæ, nunc palleſcerent, nunc ad viuidum recentis ſanguinis colorem accederent: adeò vt bonus Apelles manum à tabulâ non ſemel ſit coactus abducere: & qui alia omnia ad viuum exprimeret, in hoc vno nihil ſe poſſe profeſſus ſit. Teſtes quoque ſunt æſtus illi populorum, qui ex omni orbe ad ſacratiſſimum Sudarium, die Paſchę, & Dominicâ poſt Chriſti Aſcenſionem quotannis ſpectandum confluunt; fremere ſolitos ad pretioſi lintei explicationem energumenos: & impios illos ſpiritus horrendis clamoribus, quos alioqui nullâ arte humanæ fauces efformare queant, ſacratiſſimi ſanguinis ac ſtigmatum teſtari plerumque præſentiam.

tiam. Sed nolumus, quam non prætexamus ordiri telam; quodque iuſto volumine explicandum ſit (& breui ab aliquo explicabitur, vt ſperamus,) in huius Archipræſulum chronici anguſtias compingere.

Ad rem noſtram redeamus. Brachij S. Stephani duorum tantùm oſſium eſt mentio, maioris, & minoris. Et maius quidem, *ictibus lapidantium Iudæorum quaſſatum* vidiſſe ſe dicit, & in altari S. Stephani condidiſſe, S. Leo Papa IX, dato pro eccleſiâ S. Stephani diplomate, 3 Idus Ianuar. 1051, Indict. 4, Pontif. anno 2: & hodiéque habetur os illud in eodem altari: quod quia ſpectare nondum licuit, ambigo ſitne *os brachij*, quod vocant, an *cubitus*. At verò minus os aſſeruatur non integrum in ſacrario eiuſdem eccleſiæ, argenteo brachio incluſum, cum aliis quibuſdam reliquiis, quarum hic eſt catalogus: *Nodus de ſpinâ S. Vincentij cum paruulo oſſe manus ipſius: exigua phiala plena ſanguine S. Stephani: de lacte, & veſtimento, & velo S. Mariæ: de ligno Crucis: de ſpongiâ & de ſepulcro Christi: de pallio Eliæ Prophetæ: de reliquiis S. Symphoriani, S. Fauſti, S. Bonitti, & S. Genebaldi Epiſcopi: de reliquiis S. Ioannis Euangeliſtæ: de corpore, & veſtimento S. Pauli primi Eremitæ, & de fructu palmæ, quæ ei victum præbuit.*

Quod verò refert Andreas Valaderius, in Auguſtâ baſilicâ S. Arnulphi Metenſis, ex quodam Epiſcoporum Metenſium chronico; *Theodoricum 49 Metenſem Epiſcopum, conſtruxiſſe eccleſiam S. Stephani Metenſis*

(*nunc Cathedralem,*) *in eáque brachium Protomartyris Stephani, quod Leonis IX tempore, Veſontione Metas ipſe transtulerat, collocaſſe*; ſic intelligendum putamus, vt partem oſſis minoris, quod in argenteo brachio habetur minimè integrum, Metenſis ille Epiſcopus Theodoricus à Biſontinis acceperit. Cùm autem vtrumque os brachij S. Stephani, repoſitum dicatur à Gallâ Patriciâ, & Præſule Celidonio, *in baſilicâ ſui nominis principali,* (quibus verbis ſignificari videtur ſuperior eccleſia Montis Cœlij, quæ à ſolo S. Stephano nomen habet,) eſt quòd obſerues ex veteri codice S. Ioannis, eas reliquias ad matrem eccleſiam S. Ioannis pertinuiſſe: idcircò priſcis illis temporibus Cuſtodem reliquiarum ſuperioris eccleſiæ S. Stephani, fuiſſe Canonicum S. Ioannis, eique certá portionem cibi ac potus, è S. Ioannis refectorio (cùm Canonici vnà viuerent, conferrentque omnia in cōmune) mitti quotidie ſolitam: Eam ob rem factum poſteà, cùm ſua cuique Canonico domus, ſua ſupellex fuit, vt Theſaurario S. Stephani, à S. Ioannis Capitulo, certi in annos ſingulos fructus, vitæ ſuſtentandæ ergò, penderentur.

Qui decem illi Epiſcopi, qui iubente Deo Veſontionem venerunt, nuſquam comperire potui. Ex eo verò ſanguine, qui è Protomartyris brachio Veſontione manauit, plenæ hodiéque phialæ plures in Eccleſiâ Biſontinâ ſuperſunt: nempe à tergo maioris altaris S. Stephani; & intra brachiū argēteū, quo minus os brachij S. Stephani clauditur. In ſacrario verò S. Ioan

S.Ioannis extat imago argentea Protomartyris, quę lagenulam ex Achate gemmâ, eo ſanguine plenam geſtat: & Bernuinum Archiepiſcopum conſtat partem ſanguinis S.Stephani intra altare baſilicæ S.Ioãnis condidiſſe: (quamquam dubium mihi eſt, num in aliquâ ex dictis phialis aſſeruetur ille alius ſanguis ab Helenâ miſſus ſub Hilario.) Atque ex eodẽ crediderim fuiſſe eum qui apud Bituricenſes; de quo ſic Greg. Turon. de glor.Mart.lib.1. cap. 33; *pars enim beati ſanguinis, ſacroſancti Leuitæ huius (* Stephani) *ſicut celebre fertur, in altari Biturigæ eccleſiæ continetur:* tum eiuſdem ſanguinis aliquod ſubdit miraculum: fortè etiã eum, quẽ Colonię Agrippinę in eccleſiâ S.Seuerini haberi notat Sacrarium Colonienſe. Et quamquam non ignoramus, ante inuentum S. Stephani corpus, aliquid ex eius ſanguine in quibuſdam eccleſiis viſum, qualis ille, quem à Machario Hieroſolymitano acceptum, B. Helena Conſtantini mater Veſontionem cum Dalmaticâ Protomartyris miſit (ſeu naturalis fuit ſanguis, ab aliquo è Chriſti cultoribus, tempore Martyrij S.Stephani collectus; ſeu etiam miraculo ex aliquâ eius imagine, aut aliâ quapiam re ad eum ſpectante manauit, vt S. Stephani ſanguis dici poſſit; ſicuti hic noſter, qui ex eius brachij oſſe arido fluxit:) vero tamen ſimile eſt, eum Biſontinum ſanguinem, cùm tantâ copiâ profluxerit, non modò in decem illas Galliarum Eccleſias, quibus præerant decem qui eò conuenerant Epiſcopi; ſed & in alias pleraſque orbis partes fuiſſe diſtributum.

butum. Quare ex eo eſſe exiſtimo illum, qui apud *Neapolim Campaniæ*, in eccleſiâ *S. Gaudioſi* habetur: ſeu ex Africâ à S. Gaudioſo aſportatus eſt (quod famam ferre dicit Baron. in Martyr. 3 aug.) ſeu ex alio quopiam loco Neapolim tranſmiſſus. Quòd enim Baronius, eum ſanguinem ab Oroſio acceptum Hieroſolymis, & in Occidentem illatum probari putat ex epiſtolâ Luciani, non ſatis conſtare videtur: nam in eâ epiſtolâ Luciani, atque etiam in epiſtolâ Auiti, nulla mentio eſt *terræ ſanguine madefactæ* (vt ait Baro.) ſed ſolummodò terræ, ac pulueris, in quem (vt fit) caro, & nerui Protomartyris iam à pluribus ſæculis ſepulti abierant. Eum, inquam, ſanguinem Veſontione Neapolim perueniſſe (ſeu priùs in Africam delatus eſt, vnde eum *S. Gaudioſus* detulerit, ſiue non) hinc mihi probatur vel maximè, quòd magno miraculo liqueſcere atque ebullire conſpiciatur, inter Miſſæ officia, die tertiâ Auguſti: quâ die ſanguis è Sancti Stephani brachio apud Biſontium manauit.

Ex quo etiam percommodè ſolui puto quæſtionem illam, cui quomodocumque ex Geronij Tarraconenſis ſententiâ reſpondet Baronius citato loco: cur videlicet Inuentio corporis S. Stephani celebretur 3 Auguſti; cùm inuentum fuiſſe conſtet menſe Decembri: tranſlatum Hieroſolymam, 7 cal. Ianuarij: inde Conſtantinopolim, 5 cal. Octobris: Cõſtantinopoli Romam, nonis Maij: denique S. Stephanum Martyrio coronatum, poſtridie Natalis Domi

Domini. Ad hæc Baronius, diem illam tertiam Auguſti, ante inuentum corpus S. Stephani, celebrem iam illi fuiſſe in eccleſiâ, ac deinde auctam celebriori ſolemnitate Inuentionis corporis ipſius. Sed frigida eſt eius coniectura, nec ſatis probat, eam diem S. Stephano, corpore illius nondum reperto, fuiſſe dicatam. Cùm verò nobis conſtet ex omnibus tabulis Eccleſiæ Biſontinæ, Theodoſij Legatos cum brachio Protomartyris, aliiſque tanto Principe dignis muneribus, tertiâ die Auguſti Veſontionem ingreſſos: eâdemque die inter Celidonij Biſontini Præſulis manus (cùm ex oſſe brachij fruſta aliquot, quæ aſtantibus Epiſcopis traderet, conatus eſſet abrumpere) tantâ copiâ fluxiſſe ſanguinem, vt non modò in decem illos Epiſcopos, ſed & in alios multos è circumſtantibus diſtributus ſit: non obſcuro argumento autumet quis, celebritatem ipſam inuenti corporis S. Stephani, in tanti prodigij μετημόζωσιν, ad tertiam diem Auguſti fuiſſe reiectam. Quæ dies, vt Inuentioni corporis Protomartyris libera eſſet, conſultò ſtatutum eſt in eccleſiâ Biſontinâ, vt commemoratio SS. Epiphanij & Iſidori fieret 4 Auguſti; S. verò Agapiti, 20 Aprilis; aduentus verò brachij S. Stephani, & admirandi illius ſanguinis 13 Iulij: cùm tamen eadem die menſis Auguſti tertiâ, Veſontione accepta ſint, cum brachio S. Stephani, & capite S. Agapiti, corpora SS. Martyrum Epiphanij, & Iſidori, & cruor ex oſſe brachij Protomartyris emanarit.

Quòd verò attinet ad tempus,quo hæc geſta ſunt: hoc quidem certum ex relatâ hiſtoriâ, ea contigiſſe tempore aliquo interiecto inter obitũ Honorij, qui contigit anno 423, & obitum Theodoſij, qui anno 450:ſed quo præcisè anno, incertum.Id nonnulli re-
439. ferũt in annum 439,quòd eo anno corpus S. Stephani Hieroſolymis tranſlatum ſit Conſtantinopolim, quæ erat Theodoſij ſedes. Sed non habet fundamẽtum hæc coniectura, ſi vera eſt quam deſcripſimus narratio,in quâ dicitur, brachium illud Protomartyris,quod Veſontionem miſſum eſt, Romæ ab Honorio fuiſſe aſſeruatum, qui illud acceperat à Ioanne Epiſcopo Hieroſolymitano, paulò poſtquàm inuentum eſt corpus B. Stephani:Ioannem enim Hieroſolymitanum fato conceſſiſſe anno 416, proximè ſequenti poſt annum inuenti corporis, probat Baron. eodem anno, num.35.Igitur iampridem brachiũ illud Romæ habebatur: neque anno 439, Conſtantinopolim cum reliquo corpore ab Hieroſolymis tranſlatum fuit. Si coniecturis agendum: ſenſerim
444. ego id factum anno 444, paulò antequàm Hilarius Arelatenſis, veniret Biſontium,& Celidonium Epiſcopatu priuaret: occaſione nimirum ſanguinis, è brachio S. Stephani, dum à Celidonio tractaretur, diffluentis, populum rem adeò inſolentem, vindictam diuinam interpretatum:& ſcilicet ratum,Epiſcopum ſuum occulto aliquo ſcelere teneri, eum ad Hilarium, bigamiæ,& vſurpati Iudicij in causâ ſanguinis, magis tumultu quodam, quàm certâ rei cognitione

gnitione detuliſſe: quibus ille ſe in Curiâ Romanâ coram S. Leone purgarit: tuncque fortè S. Leonem miraculi perſpectâ magnitudine, indixiſſe, vt ea dies tertia Auguſti, quâ hæc contigerant, Inuentioni corporis Sancti Stephani in poſterum ſacra haberetur.

Appropinquante verò tempore, quo Beatus Celidonius Pontifex glorioſus, Sancto ſibi reuelante ſpiritu, ab hac luce ſe ſubtrahi cognouit: mercedem laborum ſuorum à pio Iudice recepturus, iuſſit locum ſepulturæ ſuæ præparari, & iuxta prædeceſſoris ſui ſarcophagum collocari: in quo poſt eius tranſitum, à fidelibus eſt honorificè repoſitus; hæc ex veteri ms. Creditur verò Celidonius cum deceſſore ſuo Leontio, ſepultus in ſacello S. Agapiti (vbi olim erat Chorus antiquæ eccleſiæ S. Stephani: nunc autem à temporibus Hugonis I, qui eiuſdem baſilicæ longè amplius ædificium à Valthero inchoatum perfecit, ſacellum S. Agapiti extra chorum eſt, & ad angulum, qui dexter eſt, altare maius intuenti:) Exſtant ſiquidem in eo ſacello ad murum, ſepulchra duo antiquiſſima abſque epigraphâ, minutis columnis diſtincta: in quibus iacere creduntur, Leontius, ac Celidonius. Hinc fortè appellatam ſæpe reperias in Biſontinis codicibus capellam S. Agapiti, *Cæmeterium Archiepiſcoporum.*

Importunus.

HVNC vnicus dedit, qui in S. Stephani vetuſto quodam libro, catalogus: qui proximè à Celidonio hæc habet: *Importunus pſeudoepiſcopus, receptus, ſed temporibus eiectus.* Eum ſuſpicor depoſito Celidonio ſuffectum ab Hilario Arelatenſi, aut certè à Clero & populo; quem deinde S. Leo Papa, Celidonio reſtituto, in ordinem redegerit.

XVI.

GERMESILLVS.

GERMESILLVS (quem & *Gelmeiſillum, Germeiſildum, Chelmegiſdum*, ac *Germeſigildum* dictum legimus) clauſtrum S. Stephani conſtruxit, & regulares officinas. Alia quoque multa piè & laudabiliter geſſiſſe dicitur ineunte ſuo Præſulatu: ſed iucunda initia triſtes habuêre exitus, cùm in Arianam impietatem defecit. Eâ verò de causâ meritò ſtatutum fuiſſe legimus, vt eius nomen è dypticis expungeretur.

XVII.

XVII.

CLAVDIVS I.

HIc,& quatuor ſequentes,in nullis catalogis reperiuntur: ſed eos ex actis Conciliorum & regiſtro D. Gregorij Magni reſtituimus: neque dubium eſt, quin annis iſtis circiter centum & quadraginta ante Nicetium, alij ſedem Biſontinam tenuerint, quorum nomina perierint nobis. Quia verò in codicibus Biſontinis, eo toto tẽpore ſedes vacaſſe dicitur, venit mihi in animum ſuſpicari, Biſontinos Antiſtites, Veſontione per Attilam euerſâ, alibi domicilium habuiſſe; donec Eccleſia ſub Nicetio à Brunechilde reſtaurata eſt: quod certè eſt aliquo modo ſedem vacaſſe, tametſi impropriè: niſi quis *ſedis* nomen, muris potiùs, ac domibus, quàm dignitati ac titulò Epiſcopali tribuendum putet.

Interfuit igitur Claudius hic,Concilio Epaunenſi,ſub Sancto Sigiſmundo Burgundię Rege celebrato, anno 509: eumdémque eſſe *Claudium Epiſcopum* 509.
putat Baronius (anno 490,) qui ſubſcriptus legitur cuidam Synodo Arelatenſi, & cuidam Lugdunenſi circa annum 490, coactis in causâ Fauſti Rhegienſis: ſed in eo non eſt audiendus; quòd hunc Claudium, eum eſſe dicit, cui publicus in Eccleſiâ exhi-

betur cultus. Nam illum per ſeptem ſolùm annos Biſontinam ſedem tenuiſſe, nec niſi longo poſt hunc Claudium tempore,ſuo loco oſtendemus.

XVIII.

VRBICVS.

552. VRBICVS ſubſcripſit Concilio Aurelianenſi quinto,anno Chriſti 552,Vigilij Papæ, 13. *Baron. num.* 25. Rhenanus lib. 3 rerum German.*in Valle Pœninâ*, legiſſe ſe dicit in veteri quodam codice,ſubſcriptum Epaonenſi Concilio *Orbicium Epiſcopum Eccleſiæ Veſontienſis*,quē proximè ſequitur *Conſtantius Epiſcopus ciuitatis Octodorenſis*. Sanè ille Orbicius, non alius eſſe videtur ab Vrbico, qui quintæ quoque Synodo Aurelianenſi interfuit. Sed quomodo Vrbicus adeſſe potuit Eponenſi Concilio, cui Claudium Veſontionenſem ſubſcripſiſſe conſtat ipſis euſis Concilij Eponenſis tabulis; idque proximè ante Conſtantium Octodorenſem? proculdubio ſecundùm quoddam Concilium vulgato recentius proponit vetuſtus ille viſus à Rhenano codex; nam & Ioan. Stumpffius, ex antiquis manuſcriptis aſſerit interfuiſſe Eponenſi Con-
546. cilio, anno 546 celebrato, *Gramatium Epiſc.Vindoniſſenſem*, qui etiam ſubſcriptus legitur Aurelianenſi quinto, cum Vrbico noſtro; & vtriuſque deceſſores

Clau

Claudius Veſontionenſis, & *Boülcus Vindoniſſenſis*, priori illi Eponenſi Synodo anno 509 adfuiſſe reperiuntur. Vide ſuprà Partis 1, cap. 38.

XIX.
TETRADIVS I.

TETRADIVS anno Chriſti 570 miſit vice ſuâ Cæſarium Presbyterum ad Concilium Lugdunenſe, quod primum dicitur eorum, quæ exſtant. Huncque ipſum eſſe ſuſpicor Tetradium, qui Concilio Pariſienſi ſecundo, ſeu (vt quidam volunt) primo, interfuit anno 558, vel 559. 570.

XX.
SYLVESTER II.

SVBSCRIPSIT *Sylueſter* Concilio Matiſconenſi primo, anno 582. (*Baron. num.* 10,) 582.
& ſecundo, anno 588. (*Baron. num.* 10.) vtrique ſub Pelagio Secundo. 588.

XXI.
VITALIS I.

VITALIS cum multis aliis Præſulibus, *Theodorico Rege, & Brunechilde Reginâ*, ſubſcripſit priuilegio Monaſterij S. Medardi Sueſſionenſis

nenſis dato 7 Cal. Iunij, anno ab Incarn. Domini
593. 593, Indict. 11, quod cap.vlt.lib. 12 epiſtolar.ex Regiſtro D. Gregorij Magni, nobis indicauit D. Gaſpar *de Mornieu* Regius in Lugdunenſi Præfecturâ Conſiliarius, vir numquam ſatis laudatus, ob accuratam diligentiam, quâ Sanctorum geſta, & Præſulum Gallicorum Catalogos vndecumque ex puluerulentis Eccleſiarum archiuiis, truncatiſque tumulis eruit & exſuſcitat, & ad Chronologiæ normam, pio & indefeſſo labore poſteritati conſulens, conatur reducere.

XXII.

SANCTVS NICETIVS.

DE S.Nicetio Archiepiſcopo Biſontino (cuius felix ex hac vitâ diſceſſus, ad octauam diem Februarij in diœceſi Biſontinâ, feſtâ celebritate recolitur) hæc habe ex vetuſtis eccleſiarum codicibus.

Erat in Beato Pontifice Nicetio, contra errores diabolicos, cæleſtis ſapientiæ plenitudo; aduersùs mundi conflictationes, infatigatæ conſtantiæ fortitudo: Cuius quidem eloquẽtia cœlitùs inſpirata, populum ſanctè viuere edocebat. Beatæ vitæ exemplis ſubditos roborabat: ſæculũ, eiúſque amatores, repletus Spiritu Sãcto, cõfutabat. O quàm iuſtè prædicamus, cunctis præconiis eſſe laudabilem, quem Sanctitas ſacerdotem, quem eruditio Doctorem, quem vera fides conſtituit

egre

egregium Confeſſorem. Vir denique prudens & eximius, quia ardenti animo ad cœleſtia properabat, terrena ſolo actu non tamen affectu poſſidebat: & quia non poſſe Deo ſeruire, & Mammonæ ſe ſciebat, ſoli Deo ſeruiens, diuitiis imperabat; in dandis eleemoſynis aſſiduus, in vigiliis ſtrenuus, in oratione conſpicuus: tam doctrinâ, quàm vitâ clarebat: prædicationem ſuam operibus confirmabat; cuius ſermo puritate amabilis, ſimplicitate laudabilis: & quia Sancti Spiritus gratiæ perfectè donum poſſidebat, amatus ab omni populo erat. Vir autem Iſraëlita, in quo dolus non erat, hæreſeos incitamenta fidei firmitate ſubnixus conculcabat; ſanctam Eccleſiam in fide orthodoxâ regebat. In quo officio, quantus, quamque induſtrius extiterit, ſi quis ſtudioſè requirit; in epiſtolis Beati Gregorij Papæ, ſuper eâdem hæreſi abſciſsâ, huic & aliis Galliarum Epiſcopis directis, reperire poterit: fuit enim Beati Gregorij Papæ contemporaneus, & admodum Sanctimoniæ eius contubernio per literas vſus: cui ſæpiſſimè literarum ſchedulas dirigebat de conculcandâ hæreſi, de ſanctâ prædicatione in populo Dei, de legis miniſterio, & doctrinâ fidei. Ipſe verò legaliter ſuum implens officium, & magiſtri præceptis diligenter & curioſiſſimè intendebat, & à mandatis Domini nullatenùs declinabat.

Erat autem tunc temporis B. Columbanus Luxouienſis cœnobij Pater celeberrimus: cuius rogatu B. Nicetius Antiſtes ſanctiſſimus Anagrates, & Luxouium & Fontanas adiit, & in vtroque cœnobio, ab eodem ſanctæ memoriæ Columbano ædificatis eccleſiis, quia in ſuâ erant diœceſi, altaria dedicauit, ibique de Diuinis dulci & ammirabili confabulatione habitâ, poſt multarum lacrymarum ſparſa flu-

mina, poſt deoſculationes creberrimas, Præſul ad ciuitatem rediit. Columbanus verò monachorum vitam educando, apud Luxouium aliquanto tempore fuit. Inter quos quanta fuerit nexæ concordiæ caritas, quantáq; in oratione ſocietas, non eſt dictu facile: die enim noctuque deſiderabant alter alterum videre: ſalutatorias epiſtolas ſæpe ſibi mittebāt: de Dei ſeruitio hortari & commonere inuicem ſeſe ſtudebant. Poſthæc verò accedente diſcordiâ inter Reginam Brunechildem, & beatiſſimum Columbanum (nulla enim concordia inter bonum & malum) iuſſu Regis Theoderici (regina enim vrgebat) pulſus à Luxouio per manus ſatellitum, ductus eſt ad Biſunticam ciuitatem in exſilium. Vbi videns eum B. Nicetius, mutuæ dilectionis alacritate perfunctus, & fratris aduerſitati, ſolatium inferens, modeſtè condolebat; & multo gaudio replebatur, quia confabulandi copiam tali cum viro habebat: vbi diu eum honorificè tractans, ſaluâ Regis reuerentiâ, ſecum habuit: donec Dei voluntas, (in cuius manu ſunt omnia) ſuâ potentiâ, ac diſpoſitione beatum virum ab hoc exſilio liberatum reduxit. Non videbatur B. Columbano ſe exſilium paſſum eſſe, ſed Dei Paradiſi delicijs, quamdiu cum Epiſcopo manſit, interfuiſſe.

Verùm, cùm iam omnipotens Deus voluit Beatiſſimum Confeſſorem, & Archiepiſcopum, ex ſuo ſeruitio remunerare; & quia ſuper pauca fuerat fidelis, ſuper multa conſtitui: cœpit aliquantulùm febribus fatigari: cúmque iam ſuæ depoſitionis diem imminere ſentiret, conuocans Clerum & populum, verbum ſalutis edidit; ſuæ vocationis diem ab hoc ſæculo notificauit; pacem eis, Magiſtri ſui ac Saluatoris veſtigia ſequens, reliquit. Ipſe verò ſexto Idus Februarij exutus homi

hominem,in Domino quieuit. Cuius ſanctiſſimũ corpus delatum eſt ad eccleſiam, quam anteceſſor eius ſanctæ recordationis Euſebius quartus Epiſcopus, in honore B. Petri Principis Apoſtolorum conſtruxerat; & extra muros ſepultum eſt, ſicut ipſe in vitâ diſpoſuerat. Populus autem ſanctâ deuotione commotus, propriam ei condiderunt eccleſiam, ſepulchrum eius infra ſanctuarium continentem: vt quem in terris dilectiſſimum habuerunt Paſtorem, in cœlis mererentur propitium interceſſorem: vbi oſtendit piiſſimus Dominus, qualis ſui famuli fuerit vita, cuius oſſa innumeris miraculis coruſcant: ad cuius ſepulchrum fiducialiter recepturi, quod iure poſcunt, fideles populi properant; ad laudem ipſius & gloriam, cui honor & iubilatio per infinita ſæcula.

Hæc ex libris S. Ioannis, S. Stephani, & S. Petri. Hæreſis porrò illa, cui amouendæ adlaborauit Nicetius, Simoniaca eſt, quæ per ea tempora, toto quidem Chriſtiano orbe, ſed maximè in Galliis graſſabatur: ad quam exſtirpandam, etſi frequentes exſtãt à Greg. Magno ad varios Principes & Epiſcopos datæ epiſtolæ, lib. 4 regiſtri epiſt. 51, 52, 53, lib. 7, epiſt. 113, 114, li. 9, ep. 50, 51, 53, 54, 55, 57; nuſquã tamen videre mihi licuit vel vnam earum, quas ad Nicetium noſtrũ conſcripſit, & eæ fortaſſis planè periêre. Cæterùm quæ S. Columbanus exſul (anno ſecundùm Baronium 612) Veſontione geſſerit, vbi â S. Nicetio exceptus eſt, placet referre ex Ionâ, illius æui ſcriptore, in vitâ S. Columbani, cap. 18, apud Bedam tomo 3: & exſtat aliis permultis locis tum cuſa, tum manuſcripta. 612.

Diſceſſit ergo Rex (Theodoricus *) relinquens virum quemdam procerem, nomine Baudolphum* (al. Baudulphũ.*) Is enim cùm remanſiſſet, virum Dei à monaſterio pellit, & penes Veſontionenſe Oppidum perducit ad exſulandũ, quoadvſque Regalis ſententia, ex eo quid voluiſſet, decerneret. Commorans ergo inibi, audit carcerem eo in loco plenum eſſe damnatorum hominum, mortis damna exſpectãtium: ad quẽ vir Dei properat; ingreſſuſque oſtium nullo obſtante, verbum Dei damnatis depromit: ſpõdéntque illi, ſi liberarentur, emendaturos, & de commiſsâ noxá pœnitentiam acturos. Beatus itaque Columbanus poſt hæc miniſtro Domoali (cuius ſupra fecimus mentionẽ) imperat, vt manu ferrum quo cõpedes vincti erant, atq; innexi, apprehendat ac trahat. Quod ille apprehenſum trahit, & veluti frutex putrefactus, per partes comminuitur, egredique carcerem damnatos, ſolutis compedibus, iubet. Peracto autem Euangelici cultus officio, pedes lauat, linteóque abſterſit; imperátque deinde vt eccleſiam petant, & commiſſi ſceleris, pœnitendo ac fletibus abluendo, culpas lauent: properantes ergo illi, eccleſiæ fores obſeratas reperiunt. Tribunus igitur militum cùm vidiſſet virtute Dei prehenſum Columbanum damnatorum compedes fractos, & vacuum ſibi tantummodò relictum ergaſtulum, inſequi calcem damnatorum (ac ſi à ſomno excitatus) cum militibus cœpit. Illi verò poſt tergum appropinquare ſatellites videntes, & fores eccleſiæ obſeratas cernentes, geminá vallati anguſtia, virum Dei compellant, vt eruantur. Ille autem anxio anhelitu ſurſum caput attollit; precaturque Dominum, vt ſuá virtute ereptos e ferro, non ſinat denuò tradi ſatellitum nexui. Nec morata Auctoris bonitas; fores firmis obſeratas clauſtris reſerat.

ſerat, atque in anguſtiâ poſitis aditum pandit, perniciſque curſu ingrediuntur eccleſiam. Fores autem poſt damnatorum introitum, in oculis militum abſque humanâ manu obſerantur, ac ſi cuſtos vſu clauigero perniciter & reſeraſſet & obſeraſſet. Perueniens ergo beatus Columbanus cum ſuis, ſimúlque & Tribunus cum militibus, fores obſeratas repererunt, Aſpaſiúmque nomine cuſtodem quærunt, vt claues largiatur: qui cùm veniſſet, clauigeróque vſu fores reſerare voluiſſet, ait ſe numquam diligentiùs obſerata clauſtra inueniſſe. Nec quiſquam poſt auſus eſt damnatis iniuriam inferre, quos Diuina virtus eruerat.

Baudulphum ſuprà memoratum, quidam eſſe volunt eum, in cuius odium erecta dicitur ſtatua lapidea ad Archiepiſcopium: Iactat enim imperitum vulgus, ſine auctore, vt ſolet, *Baudum* quemdam, vel *Baudulphum*, muliere quâdam ſuadente, Archipræſulem quemdam Biſontinum lapide obruere aliquando tentaſſe, & cauſam dediſſe ponendæ illi ſtatuæ, quæ cum galeâ, loricâ, & accincto gladio cernitur. Et ſanè *Baudulphus* ille Miles, *Theodorici* Regis miniſter domoalis *S. Nicetio* Archiepiſcopo infenſus fuiſſe traditur, quòd S. Columbano Veſontione agenti palàm faueret. Quicquid ſit, explodendi ſunt ij, qui *Baudum* illum Ciuem Plebeium Biſontinum, & Viticolam temerè faciunt, cùm repugnet in primis habitus ſtatuæ planè militaris: nec vero ſimile ſit Ciues monumento in odium plebis erigendo conſenſiſſe, aut certè clàm poſitum ſuperſtites reliquiſſe. Pergit verò Ionas cap. 19.

*Poſt hæc vir Dei(*Columbanus*)cernens,quòd nullis cuſtodiis angeretur, à nullóque moleſtiam ſuſtineret; (videbāt enim omnes in eo Dei virtutem flagrare, idcóque omnes ab eius iniuriis ſegregabantur,ne ſocij culparum forent;) aſcendit Dominicâ die in verticem ardui cacuminis montis illius: (ita enim ſitus vrbis habetur,cùm domorum denſitas in diffuſo latere procliui montis ſita eſt, prorūpunt ardua in ſublimibus cacuminibus, qui vndique abſciſſi fluminis Doua alueo vallante, nullatenùs commeantibus viam pandit:) ibique vſque ad mediam diem exſpectat, ſi aliquis iter ad Monaſterium reuertendi prohibeat: & cùm nullus contrarius exiſteret, ipſe per mediam vrbem cum ſuis ad Monaſterium regreditur.* Hæc Ionas.

Sed rurſum Columbanus Luxouio abire iuſſus, antequàm ad Italiam accederet,Veſontione iterum tranſiſſe dicitur,ad finem eiuſdem capitis 19.Ex quibus emendes Surium, qui tomo ſexto, cùm S. Columbani res geſtas ex Ionâ, mutato nonnihil vt aſſolet ſtylo auctoris, deſcribit; pro illis Ionæ verbis, *virum Dei à Monaſterio pellit, & penes Veſontionenſe oppidum perducit ad exſulandum*; reddidit, *iuxta Veſontionenſe oppidum in exſilium abegit*: cùm tamen non ad vicinum quempiam locum, ſed ad ciuitatem ipſam Biſontinam fuiſſe deductum per *Baudulphum*, ibique vinctos magno miraculo è carceribus eduxiſſe, non obſcurè ſignificet Ionas, dum ciuitatis ſitum, & rupem Stephaniam, ac flumen ambiens graphicè depingit: conſtétque ex iis, quæ de S. Nicetio ſuprà retulimus, eum Veſontione excepiſſe perhumaniter

ter

ter beatum Columbanum Luxouio exſulantem.

Hìc porrò notandus eſt breuiarij Biſontini neotericus quidam compilator (ex quo nonnulli recentiores,) qui Nicetium hunc noſtrum confudit cum Treuirenſi; dum eum à Treuirenſi ſede ad Biſontinam tranſlatum dixit:cùm tamen hi duo(vt ex temporum rationibus eruitur)diſtinctiſſimi ſint. Treuirenſis ſiquidem ordinatus eſt Epiſcopus anno 529: *Baron. ibid. num.* 14: Clotarium primum Francorum Regem pluries anathemate perculit: Theodorico Burgundionum Regi reſtitit: interfuit Synodo Aruernenſi,anno 541;& Aurelianenſi quintæ (cui etiam adfuit *Vrbicus Veſontionenſis*) anno 552: ac tandē cùm anno 565,ſuam ſedem Treuirenſem, à quâ exſulauerat, perhonorificè recepiſſet, obiit, anno quidem mihi incerto: ſed tamē ante tempora Gregorij Magni(qui ſedem Apoſtolicam tenuit ab anno 590 ad 604,)ſepultúſque eſt Treuiris in baſilicâ S.Maximini Treuirenſis, vt refert Greg. Turonenſis, & ex illo Surius, alijque recentiores. Quæ autem miſcentur de eodem Nicetio; fuiſſe ſcilicet Magno Gregorio æqualem & familiarem; & S. Columbanum Luxouio pulſum Veſontione excepiſſe(anno 612 ex Baronio,)quadrant iſta in Nicetium Biſontinum: qui & ſepultus eſt in æde S.Petri Biſontinēſis:vnde in antiquo cerimoniali codice Metropolitanæ, habetur: *In feſto S. Nicetij, ſexto Idus Februarij, itur ad Miſſam in eccleſiâ S. Petri, vbi requieſcit corpus eiuſdem Sancti, cum proceſſione, & omni decore, exceptis vexillis.* Iacere creditur 612.

ditur prope maius altare, nec vnquam effoſſum eſt. Cùm autem (vt ex eius hiſtoriâ retulimus) delatum fuerit eius corpus in eccleſiam S. Petri, quam ab *Euſebio quarto Præſule* olim exſtructam ipſe reædificarat (vt conſtat ex vetuſtis codicibus:) & extra muros eiuſdem eccleſiæ ſepultum, prout adhuc viuens præceperat: cúmque pij ſuperſtites, qui nec ſacrum eius corpus ſub dio relinquere, nec alio quàm quem elegerat loco reponere vellent, *propriam ei condiderint eccleſiam, ſepulchrum eius infra ſanctuarium cõtinentem:* hoc ſic accipiendum putamus, vt ædes S. Petri ea parte ampliatæ ſint, quâ nunc S. Nicetij oſſa cõtinent (neque enim vllus, quod ſciam, antiquus liber, meminit eccleſiæ S. Nicetij:) factúmque ſucceſſu temporis, vt eccleſiæ S. Petri maius altare, illud ipſum fuerit, quod prope S. Nicetij ſepulchrum olim fideles erexerant.

Sedente Nicetio *Theodoricus Rex Burgundionum, & Brunechildis Regina, Biſontinam eccleſiam à Vvandalis* (potiùs ab Hunnis) *euerſam reædificarunt*; ex veteri chronico rerum Burgund. Sed quam quæſo è multis puto, *S. Stephani*: quæ fortè, quòd ex eo tẽpore illuſtrior eſſet ac magnificentior, aduersùs matrem eccleſiã S. Ioannis primatum affectarit. Illud verò Chronici, ſatis apud noſtrates frequens, etſi nõ ignoramus reſperſum eſſe cõmentis; qui tamen illi hac in parte fidem negauerit, audiat ab Aimoino lib. 4, cap. 1, *incredibile videri, tot ab vnâ Brunechilde, pia ædificia, in Auſtraſia, & Burgundia erigi potuiſſe.*

X X I I I.

XXIII.

SANCTVS PROTADIVS.

SANCTO Protadio in diœceſi Biſontinâ, ſacra eſt dies (quâ ad cœlos euolauit) Februarij decima. De eo hæc habent Eccleſiæ Biſontinæ tabulæ.

Tempore Clotharij Francorũ Regis incliti beatiſſimus Protadius, vir Apoſtolicæ auctoritatis, Biſunticæ ciuitatis adeptus cathedrã, rexit Epiſcopium, non tam dono quàm merito; quia nullâ ambitione terrenâ ſuſcepit honorem, in quem S. Spiritus gratia perpetuam ſibi ſacrauerat manſionem: nam ſummo labore animum ad virtutem à pueritiâ confirmauit; & vt erat nobiliſſimus genere, moribus nobilitatem non obſcurauit, quæ bonorum actuum ſplendore in eo modis omnibus coruſcauit. Reges ac Principes maximè eum metuebant, item plurimùm diligebant: cuius quippe fidei conſtantia dubios confirmabat, temerarios grauitas temperabat, ſeueritas eorum laſciuiam corrigebat. Emicuit quidem in eo cæleſtis conuerſationis gloria, cui iugis inerat in cibis abſtinentia (edebat autẽ ſolummodò vt viueret, non autem viuebat vt ederet,) in potu ſobrietas, in vigiliis aſſiduitas, in oratione pura erat ſedulitas: vitam Angelicam bonus Paſtor agebat, ab ore cuius laus Domini non recedebat: laudem etiam Propheticam ſemper habuit, cuius in conſpectu Domini non ſolùm mors, verùm & pretioſa vita exſtitit. Quid igitur lucidius hoc Sacerdote, quid clarius hoc ſancto Pontifice, in quo non

ſolùm continentiæ ratio in eſcarum parcitate, & caſtigatione corporis erat, verùm ampliora illius virtutis bona, quæ ad animi pertinet caſtitatem, habebat; quæ non concupiſcentias duntaxat carnis refrænat, ſed etiam mundanæ ſapientiæ vanitatem conculcat: nullus enim ipſum per philoſophiam & inanem fallaciam decipere poterat, qui ſanctarum ſcientiâ ſcripturarum ad ſummè eruditus, & Sancti erat Spiritus doctrinâ inuiſibili ad ſummè repletus. Diebus enim ſuis, veritatis inimici, ſicut adhuc ſunt, non deerant, qui infra ſanctam Eccleſiam bella ciuilia commouebant: quorum verſutiam ſpiritualis Paſtor, fidei armatus galeâ inexpugnabili, caritatis loricâ circumdatus inuincibili, veritatis quoque inſecabili ſcuto munitus, Dominicæ Crucis vexillo percutiens non ſolùm confutauit, verùm etiam quamplurimos illius ſerpentinæ veneno aſtutiæ imbutos, ad ſanctæ matris Eccleſiæ gremium perfectè ſanatos reduxit.

Quantâ denique virtute, quantâque Dei potentiâ vir noſter apoſtolicus, hæreſim (quæ eo tempore, Simoniaca, Gallicanas multùm fœdauerat eccleſias) exſtirpauerit, ſi quis diligenter ac curioſè requirit, in regiſtro B. Gregorij Papæ reperiet; qui ſuper hoc laudes Deo & gratiarum actiones, Francorum Reges ſalutando, rependit. Induſtria enim eius, cunctis in hac parte reſiſtebat erroribus: fidem autem Catholicam à cunctis muniebat impugnationibus. Specialis quoque pauperum cura in eo maximè præualebat; circa quos veſtimentorum ac ciborum diſtributor egregius ſecretè manebat, quia ſe Chriſtum ſub formâ pauperis veſtire ac paſcere cognoſcebat. Domeſticorum quoque vitam tam exemplis quàm eruditione ad portum dirigebat beatitudinis; non ſibi viuens,

ſed

ſed illis : Atqui egregius paterfamilias de theſauro ſuo noua & vetera populis præferebat;qui vtriuſque teſtamenti vnum atque idem ſacroſanctum martyrium edocebat, gregémque Dominicum fideli prædicatione augebat: cui etiam Epiſcopalis definitio conuenienter aptata,in nullo diſſonabat,quoniam modis omnibus irreprehenſibilis erat. Inter cætera quidem, huius beatiſſimi viri adſcribitur laudibus;quòd dubitantibus Clericis inter ſe de diuerſis eccleſiarum vſibus,(rogante bonæ memoriæ Stephano ſanctæ matris eccleſiæ B. Ioannis Euangeliſtæ, & Haymino S. Stephani eiuſdem ciuitatis Decano) libellum ediderit, in quo ad ſeparandum omne ambiguum hæc ſcripta reliquerit; quid in Conuentu fratrum agi conueniat; quid tenere eccleſiam, quid-ve vitare oporteat; quot ſacri ordinis miniſtros feſtiui dies habeant; quò, & quando proceſſiones fiant; quo tempore totius vrbis congregationes ad matrem eccleſiam conueniant: quicquid etiam agendum ſit per anni circulum in eccleſiá, ſancta eius edocuit poſteros induſtria.

Clotarius denique Rex, tantæ dilectioni, ſiue timori eum habebat, quòd abſque eius nutu ſiue conſilio, nihil in regno agere præſumebat,quem adeò miro affectu colebat, vt in omni ſcripto (ſicut adhuc memoralia eius teſtantur) Patrem, & Dominum appellaret; & ſe Rex magnificus, ſeruum, ac filium ſubiiceret. Nec mirum, ſi Rex terrenus, ac mortalis eum metuebat, in quo Rex cæleſtis,& immortalis perenniter habitabat.Hic autem felici migratione exutus homine, quarto Idus Februarij, ingreſſus eſt cælum;vbi locatus,Angelicis ſpiritibus & coniunctus, intercedit pro populo ad Dominum. Corpus verò eius ſanctiſſimum,delatum eſt ad B.Petri Apo-

ſtoli monaſterium, & ad aram in Sanctuario collocatum: vbi ſi deuotâ mente ſuffragium quæritur, citò Diuina largitas adeſſe cognoſcitur; præſtante vnigenito Dei filio, qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum.

Præſentiſſimam B. Protadij opem Biſontini experiuntur, tum in aliis multis, tum maximè in imbribus vel laxandis, prout opus eſt, vel continendis. Quare, cùm eius corpus pridē in capsâ ligneâ, alioqui nō inelegāti aſſeruaretur; nuper Capellani S. Petri, ſacro eius concludendo cranio argēteum caput, reliquis oſſibus capſam argenteā Ciues cōflari curauerunt, in quā nobis præſentibus tranſlata ſunt 9 Februarij, anni 1614, per manus R. D. Philiberti *Pourtier* Canonici Biſontini, & Vicarij generalis.

Porrò liber ille rituum à Sancto Protadio conſcriptus, exſtat hodiéque in eccleſiâ Sancti Ioannis, ſed interpolatus à recentioribus, qui noua officia, nouóſque ritus variis ex eo tempore occaſionibus inductos, ad vſus Clericorum inſeruerunt: adeò vt quid à S. Protadio priſcâ illâ ætate inſtitutum, quid à poſteris adiectum fuerit, planè dubium reliquerint. Hæreſim verò illam Simoniacam oppugnaſſe non potuit iam Archiepiſcopus, ſub Gregorio Magno: obiit enim S. Gregorius anno 604: at anno 612 in viuis adhuc fuiſſe S. Nicetium, & Veſontione exſulantem B. Columbanum ſuſcepiſſe vidimus: ſed potuit illi hæreſi reſtitiſſe S. Protadius Magni Gregorij tempore, cùm nondum Archie-

chiepiſcopatum eſſet adeptus. Qui autem Frācorum Rex eum tanto in honore habuit, is eſt *Clotarius Secundus* Chilperici filius, qui Galliarum omnium geſſit monarchiam ab anno 614, ad 631, vel (vt quidam) 632; quem tradunt ſeruorũ Dei fuiſſe ſtudioſiſſimũ.

Sed accipe rem miram, quæ Veſontione contigit ſub Protadij Præſulatu. Nocte quâdam (ſeu furum ingenium fuit, ſeu Cuſtodum incuria, qui aditus ſacrarij minùs diligenter obſeraſſent) ingreſſi fures brachium S. Stephani, quod nobiliſſimâ ex auro thecâ variis diſtinctâ gemmis incluſum, in S. Stephani eccleſiâ ſeruabatur, ſurripiunt; & auri, quàm oſſium cupidiores, thecam quidem in vſus ſuos aſportant; brachium verò omni gemmâ pretioſius, in flumen *Dubium* ex itinere deiiciunt, non longè à ciuitate. *Proiecto brachio in flumen* (verba ſunt, quæ in vetuſtis lectionum eccleſiaſticarum libris) *illicò diuidebatur continua quantitas defluentis aquæ; & cumulus vndarum in liquidos parietes erectus, ſpatium terminauit in medio, vbi brachium ſanctum ſicco ſinu aquoſi fundi blandè receptum collocabatur. Nec defuit lucido Martyri lux Diuina; ſed in modum candelæ ardentis lumen appoſitum apparuit, quod nullis auræ ſpirantis flatibus exſtingui valebat.* Id prodigij obſeruatum à piſcatoribus: Rumor interim ſpargitur in populo, ablatum à furibus brachium: excogitantur viæ omnes, quibus furtum deprehendi poſſit, ſollicitè perquiritur vndique: *quem tumultum piſcatores prædicti audientes, vt intellexerunt quod acciderat, monſtrabant populo locum in fluuio, vbi brachium ſanctum*

cum lumine inter aquas in ſicco poſitum omnes ſimul videntes, indubitatam fidem huius miraculi poſteris reliquerunt. Mox clerus, populúſque vniuerſus locum adiêre cum prece publicâ; acceptúmque brachium S. Stephani, in ipſius eccleſiam, vnde ſublatum fuerat, ingenti omnium gaudio reportarunt. Hinc in Eccleſiâ Biſontinâ, Inuentioni brachij Protomartyris ſacra eſt dies Iulij vigeſima: quâ die rei geſtæ hiſtoria in Diuinis officiis recitari ſolet. Atque hæc eſt ſecunda Commemoratio S. Stephani, in diœceſi Veſontionenſi fieri ſolita: cùm prima fiat 13 Iulij, vt notauimus in Celidonio. In tertiâ verò Commemoratione, quæ celebratur 23 Auguſti, legi ſolent duo miracula, quæ tibi ipſis antiquorum verbis hîc reddimus, ne ſtyli mutatione, aliquid de veritate narrationis detractum putes.

Erat quidam vir in prouinciâ Catalaunorum, qui ſolebat frequentare ſuperiores partes Burgundiæ, causâ picis, vnde vaſa vinaria ab incolis præparantur. Is cùm ſæpe hoſpitio reciperetur in ciuitate Veſonticenſi, ſemper eccleſiam B. Stephani cum oblationibus ſuis viſitabat. Quodam tempore dum iterum eodem itinere poſitus, ſerò veniſſet ad hoſpitiũ; cumque ſocij itineris, propter accelerandam viam ſe dicerent in ipsâ nocte exituros; cœpit præparare candelam, quam B. Martyris eccleſiæ more ſolito ob deuotionem exhiberet: Cui dum hoſpes illius diceret, non eſſe ſibi opus in nocte aſcendere ad eccleſiam; & ſi illi commendare vellet candelam, ipſe eam manè facto ad S. Stephanum deportaret; non acquieuit illi, ſed ſurgens, de nocte aſcendit in montem; & perueniens

ueniens ad eccleſiam ceremonias perſoluebat, & patrocinia B. Martyris efflagitans, ſecurus recedebat. Vrbs verò Chryſopolitana ſuper quemdam montem poſita eſt, vndique rupibus acutis per naturam munita; quam circumfluens penè ex omni parte quoddam flumen, quod vocatur Dubium, tutum & amœnum locum incolis præſtat: cúmque tota vrbs ſatis ſcopuloſum circuitum habeat, ex vno tamen latere per altiſſimum præcipitium pateſcit ruinis, ita vt neque aditum neque exitum vllis in terrâ viuentibus, niſi volatilibus aut ſerpentibus exhibeat: iuxta quam rupem, in inferiori planitie via publica dirigitur. Comites autem huius religioſi viri ſimiliter de nocte ſurgentes, ad eamdem vulgarem viam peruenerunt; & non inuento illo cœperunt clamare, & vocare illum nomine, vt vbi eſſet ſcire potuiſſent: quos dum ille in ſummâ rupe inferiùs clamantes audiret, reſpondebat ſe protinùs ad illos properare velle; & cùm nox tenebroſa eſſet, probabili errore vſque ad montis præcipitium clarè videntibus valdè formidandum peruenit; & dum ſe putaret per planum incedere ad ſocios, cùm ipſi prope rupem fuiſſent inferiùs, & ille in ſaltu aliis hominibus mortali, longè diſtaret ab eis ſuperiùs; ſubitò Diuinâ ſubuectione in planum inter medios ſocios illæſus depoſitus eſt. Illi verò mirantes, vnde tam repentè veniret, & qualiter de ſurſum viuus venire potuiſſet; reſpondit ſe neſcire, & nihil difficultatis habere, niſi quòd ſe per capillos aliquantulùm ſuſpenſum fuiſſe, & parum moleſtiæ dicebat habere; ſanus tamen & lætus, Deo & Beato Martyri Stephano gratias agens, iter cœptum peregit.

Hoc miraculum, quod in antiquiſſimis codicibus deſcri

deſcriptum eſt, quo præcisè tempore contigerit, incertum. Diſtinctiùs refertur alterum de *Lamberto*, tunc Præpoſito Lingonenſi, poſteà eiuſdem vrbis Epiſcopo: qui cùm Romam adiens, Veſontione iter haberet, Protomartyris ope, quam implorauerat, fœdo manus tumore, ac dolore acerbiſſimo liberatus eſt.

Fuit vir quidam, Lambertus nomine, natione Lingonicus, ex nobili proſapiâ ortus, ſapientiâ & virtutibus admodùm ornatus; qui Lingonicæ vrbis Præpoſitus in primis, poſteà diſponente Diuinâ gratiâ Pontificali honore in ipsâ ſede eſt ſublimatus, qui cùm adhuc memoratæ vrbis Præpoſitus eſſet, ei quidam morbus ſuper alteram manum increuit, quē vulgus ſuperoſſum ſolet vocitare: vnde valdè cœpit ægrotare; ex vtrâque enim parte carne ingruente, os altè ſupereminebat, totúmque corpus vis doloris exurebat: Sed venerabilis vir, Domini prouidentiæ vulnus ſuum committens ſanandum, cum tanto dolore Romam adire cœpit, ac Biſonticâ vrbe tranſiens, eccleſiam S. Stephani in ipſo monte ſitam viſitauit. Qui cùm cryptam, vbi ſanctum Martyris brachiū habebatur, fuiſſet ingreſſus, tamquam mancus ex vnâ parte, ex alterâ verò dolore alterius penè debilitatus, orationem Deo ac S. Martyri quamdeuotè fudit, deprecans, vt morbum alleuiaret, quo inceptum iter perficere poſſet: erat quippe vix poſſibile, tanto labore ægrotantem, tam longum iter perficere. Verùm, quid non offert indubitata fides credentibus! vbi enim peractâ oratione ſurrexit, auditâ Miſſâ ibi, brachio Domni Stephani, per hoc ſperans habere ſalutem, ſe ſignari expetiit. Iam acceptâ licentiâ abeundi, nihil reminiſ-

cens mali, quod tam dirè anteà paſſus fuit, viam aggredi cœpit; donec eò, vbi ſeruiens cum ſuis opperiebatur (videlicet ante ipſas fores Monaſterij,) peruenit. Cùm igitur ex more equum aſcenſurus, tegumenta manuum, ſcilicet vantos, à ſeruiente ſibi exigeret; ſeruiens vnum ei contulit, alterum verò, quem propter vim doloris iamdiu non induerat, retinuit; atque domino ſuo reliquum vantum exigenti arridens dixit; ô vtinam verum eſſet, quòd ipſi manui tamdiu paſſæ tegumentum ſuum conueniret. Ad cuius vocem tum demum dominus ſuus, ſoſpitatis ſuæ effectum agnoſcens, manum ſuã quamdiligenter intuitus, ita eam ſanatam inuenit, ac ſi nullius vnquam læſionis mala in eâ pertulerit. Cœpit ergo à circumſtantibus ſciſcitari, in quâ manuum videbatur priùs malum illud haberi. Denique tanto, tam repentino gaudio, & ſalute repletus, vnà cum ſociis cryptam, vbi priùs orauerat, concito itinere repetiit; atque Chriſto, & S. Protomartyri, quem poſt Deum, auctorem ſuæ ſalutis credebat, gratias egit.

Lambertum, in quem id beneficij collatum eſt, tunc Præpoſitum, inde Epiſcopum Lingonenſem, eum eſſe non dubitamus, qui cenſetur inter amicos eccleſię Biſuntinæ, in veteri Miſſali codice S. Stephani, in quo hæc habes: *Nomina amicorum noſtrorum defunctorum; VValtherius Eduenſis Epiſcopus, Luzo Darentaſiæ Archiepiſcopus, Lambertus Lingonenſis Epiſc. Hugo Lauſonenſis Epiſc. Vilelmus Diuionenſis Abbas, Aldricus Vercellenſis Epiſc. Nizo Lugdunenſis Epiſc. Poppo Patriarcha Aquilienſis.* Hæc porrò in hunc locum retulimus, occaſione inuenti ſub Protadio brachij S. Stephani,

cùm tamen ea aliquot poſt ſæculis contigiſſe conſtet: obiiſſe enim S. Protadium exiſtimo, die decimâ
626. Februarij, anni ſexcenteſimi vigeſimi ſexti, quo anno S. Claudius ei ſuffectus eſt.

Eccleſiam verò S. Petri, in quâ depoſitus eſt, cùm *Monaſterium* dictam legis; nõ eſt quòd ad monachos pertinuiſſe exiſtimes: nihil enim frequentiùs in antiquorum ſcriptis, quàm vt eccleſiam quamlibet, monaſterij nomine appellent: ſicut & nos Galli, quamcumque baſilicam, *Mouſtier* appellamus. Immò in Biſontinis ritualibus, eccleſiarum omnium Clericos, ſeu Canonicos, dictos perſæpe inuenias *Fratres:* quod nomẽ ideo illis attributum puto, quòd in primâ ſuâ inſtitutione, regulares fuerint, & vitæ communi addicti.

XXIV.

SANCTVS CLAVDIVS II.

DE S. Claudij chronologiâ, & ordine inter Biſontinos Archiepiſcopos, variæ exſtiterunt, eæque inter ſeſe pugnantes ſententiæ: quibus referendis ne diutiùs adhæreſcam, quàm huiuſce chronici breuitas ferat; ante omnia, eius hiſtoriã tibi propono, ex archiuo cœnobij S. Claudij; eam ipſam, cuius nõdum editæ prima verba notat Molanus in ſuis ad Vſuardum notis.

Quæ

Quæ ſanè, etſi auctore anonymo, ex eo tamen perantiqua eſſe apparet, atque adeò omnium quæ vnquam ſcriptæ ſunt antiquiſſima; quòd ipſo initio profiteatur auctor, eam ſe ſcribere *laudabili Fratrum Iurenſium inſtantiâ commonitum*: vitam enim S. Claudij non videbantur poſtulaturi vt ſcriberetur, ſi ab aliquo iam conſcripta erat: & illa vox (*Fratrum Iurenſium*) æuum S. Claudij ſapit; quo loci illius monachi nondum à S. Claudio, ſed â loco (veteri nomine) *Iurenſes* dicerentur. Quæcumque verò in hac hiſtoriâ habentur, adeò conueniunt & conſonant inter ſe (quemadmodum paulò poſt demonſtrabimus,) vt vel hinc maximè fidem mereantur apud omnes, qui tempora rectè putare norint.

Vita S. Claudij Archiepiſcopi Biſontini.

In nomine Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis. Laudabili Fratrum Iurenſium inſtantiâ commoniti, vitam Beati Claudij, & eius miracula ſummatim delibare decreuimus; cuius vitæ meritum ſi ad plenum proſequamur, mendacem inuidiam minimè poterimus declinare: & ideò paucas eius virtutes attingimus, vt nos lector parcos potius veritatis, quàm prodigos falſitatis inueniat.

Beatus igitur Claudius fuit ex nobili Salinenſium *Principum ſeu Palatinorum genealogiâ: qui vſque ad ſeptimum annum cum decenti curâ in domo parentum ſuorum nutritus fuit. Tranſacto autem ſeptimo ætatis ſuæ anno, ab ipſis pa-*

rentibus, probatiſſimis literarum magiſtris inſtruendus traditus fuit; ſub quibus artes, quas liberales vocant, infra paucos annos plenè didicit: infra cuius temporis ſpatium, non ſolùm artes prædictas, verùm etiam libros veteris & noui teſtamenti, hiſtorias ſiue Paſſiones Sanctorum Martyrum, atque vitas Sanctorum Confeſſorum, necnon & ſermones ſeu homilias Sanctorum Doctorum, ſub ipſis magiſtris adoleſcẽs ſibi legendo percurreret: erat enim iam in hac ætate, ingenio docilis, corde feruidus, & ſanctis operibus totus deditus, nec ſinebat diem tranſire abſque bonis operibus. In hac autem ætate non ſolùm (vt diximus) literarum ſtudio vacabat; verùm & omnibus diebus, præcipuè Dominicis & Feſtiuis, eccleſiam frequentabat: Miſſam & horas canonicas, ac Diuinæ ſcripturæ ſermones auidè auſcultabat, ac in armariolo ſui pectoris recondebat. Perſonis verò religioſis aut honeſtis ſe admiſcebat, & cum eis de virtutibus ac bonis operibus ſemper conferebat: inhoneſtis autem, aut ſcurrilibus numquam iuxta eorum inhoneſtatem, aut ſcurrilitatem reſponſum dedit; ſed potiùs manſuetè verba rationabilia dulciter & ſapienter reddebat: erant iam enim tunc eius verba ſale ſapientiæ condita, ac in tantum rationabilia & dulcia, quòd omnium in ſe prouocabant affectum. Diligebant autem eum prouecti & ſapientes, velut iam virum factum & virtuoſum, & ſapientem; alij verò, vt adoleſcentem affabilem atque prudẽtem. Nũquam in foris, tripudiis, ſeu quibuſcumq; mundanis ſpectaculis aſtare viſus fuit: numquam cum mulieribus iuuenibus abſque rationabili cauſâ diu fuit; nec de qualicumque nefando opere notatus, nõ de riſu, reſpectu, vel quocumque tam modico verbo dignus reprehendi iudicatus. Hic

Sanctus

Sanctus erat vultu Angelicus, formâ decorus, inceſſu maturus, moribus ornatus, ſenſu profundus, ſermonibus affabilis, charitate præditus, in tantum, quòd omnes qui eum intuebantur, iudicabant eum eſſe verum Dei famulum. Hæc quæ ſuprà diximus, in adoleſcentiâ ſine reprehenſione peregit.

Factus autem ætatis viginti annorum, erat iam in diuinis eruditus, ac in bonis operibus aſſuetus: militiã elegit Clericalem, petiitque humiliter, ac pro ſuis meritis obtinuit, ſe recipi in Canonicum cathedralis eccleſiæ Biſontinenſis. Qui creatus ſiue factus dictæ eccleſiæ Canonicus, incepit in ipſo Canonicorum collegio eccleſiam frequentare; Miſſis, horis canonicis, & aliis officiis eccleſiaſticis intereſſe; libros ſacræ ſcripturæ diligenter reuoluere; lectiones ipſius ſacræ ſcripturæ feruenter, & attentè audire; magiſtrorum ſermones deuotè auſcultare; ac per omnia, (vt verus Chriſti famulus) abſque reprehenſionis notâ ſe habere: ac in tantum infra breue temporis ſpatium, diuinâ gratiâ ipſum proſequente, in prædictis ſanctis operibus profecit; quòd ſacræ paginæ probatiſſimus, ac talis, quòd in totâ Burgundiæ prouinciâ, ſuo tempore non fuit factus ſimilis magiſter & profeſſor. Prædictis autem donis, & virtutibus ditatus, de die in diem in ſanctitate proficiebat; eccleſiam, vt diximus, frequentabat; Diuina officia in ſuo gradu, & prout ad ipſum ſecundùm ordinationem ipſius eccleſiæ, abſque defectu, reuerenter, & deuotè exercebat; orationi, prout temporis opportunitas ſe offerebat, frequenter incumbebat; omni penè tempore, exceptis Dominicis & Feſtis, ſemel in die refectionem ſumebat; ſæpe noctes in oratione, lectione, & ſanctâ meditatione peruigiles ducebat; caſtû, & , vt

& ,vt credimus, virginem (vtpote qui numquam de quacumque paruâ infamiâ notatus fuerit) ſe cuſtodiebat; in veſtimentis mediocrem ſe habebat; in moribus verò humilem, in verbis dulcem & affabilem ſe exhibebat; ac (vt vno verbo cuncta complectar) in omnibus virtutibus, omnium iudicio, pollebat: ita vt crederes illum iam probatiſſimum monachum.

Completis autem in huiuſmodi ſanctis operibus duodecim annis; eius ſuffragantibus meritis electus eſt in Archiepiſcopum Biſuntinenſis Eccleſiæ: quod qualiter factum fuerit, breuiter enarrare dignum duximus. Infirmante enim dictæ ſedis Præſule infirmitate quâ deceſſit; vir beatiſſimus timens quod poſt euenit, ne ſcilicet in Pontificem eligeretur, Eccleſiâ ipſam ad tempus relinquere diſpoſuit, & ad ſuos parentes (Dominos ſcilicet Saliēnſium) deuenire feſtinauit, & cum eiſdem in ipsâ Salinenſium villâ habitare cœpit. Dicto autem Præſule viam vniuerſæ carnis ingreſſo, Clerus & populus per aliquod tempus fuerunt in eligendo diſcordes, illis volentibus vnum, aliis verò alium: tandem poſt multas altercationes inter ſe habitas ad ſe redierunt; & vnanimes in oratione & fletu ſe proſtrauerunt, ſupplicantes humiliter, vt meritis Beatæ Dei genitricis, & S. Joannis eorum patroni, & omnium Sanctorum, Dominus eis miſericorditer inſpirare dignaretur, quem in Paſtorem dictæ Eccleſiæ eligere deberent. Orantibus autem illis, vox de cœlo intonuit, quæ ipſos Canonicos, vt à fletu ceſſarent, monuit, & Beatum Claudium eligerent. Tunc Canonici non modicum lætificati, Sanctum virum vnanimiter elegerunt: & factâ huiuſmodi electione, non humanâ, ſed potiùs diuinâ, miſerunt ad

Sanctum

Sanctum virum honorabiles totius Eccleſiæ & ciuitatis, pro obtinendo, & habendo eius conſenſu, & pro reducendo ad ipſam eccleſiam memoratam. Factâ autem prædictâ electione, & Beato viro præſentatâ, ac in dictâ Salinenſi villâ diuulgatâ, non eſt noſtrum dicere, quantâ lætitiâ tota villa fuerit repleta, ad quantáſque eius parentes eruperunt gratiarum actiones. Habito eius (quem denegare non potuit) conſenſu; qui deſtinati fuerant, reduxerunt eum ad Biſuntinenſem ciuitatem: & ibi eius diuulgato conſenſu, quis dicere poteſt in quanto gaudio ciuitas fuerit, quantaſque gratiarum actiones Domino egerit? puto verè, ad hoc non ſufficere Maronis eloquentiam. Celebratis autem gratiarum actionibus, Canonici miſerunt ad Romanum Pontificem, pro obtinendo ipſius electionis canonicam confirmationem: pro quâ dictus Pontifex, compertâ rei veritate, laudes immenſas & gratiarum actiones cum lacrymis Domino retulit, & quantùm neceſſe fuit, ipſam approbauit anno ſexcenteſimo viceſimo ſexto Incarnationis Dominicæ.

Factus autem Archiepiſcopus, ſubitò officium Paſtorale feruenter exercere cœpit: in collegio namque reſidens, eccleſiam deuotè frequentabat; Miſſas ſolemnes reuerenter celebrabat; horis canonicis continuè intererat; ſermones Clero, & populo memoratu dignos faciebat; cauſas eccleſiaſticas horis debitis benignè audiebat, & decenter determinabat; nec propter ipſas, ſeu quæuis alia negotia eccleſiaſtica (quæ tamen irreprehenſibiliter adminiſtrabat) niſi eſſet euidens neceſſitas, eccleſiam horis, quibus diuina officia celebrantur, dimiſit. Exponebat diſertiſſimè ſacratiſſimas ſententias veteris, & noui teſtamenti; & per ſuos mellifluos ſermones, eradicabat

vitia,

vitia, virtutes inſerebat: erat namque profundiſſimæ literaturæ, & per omnia ſimilis bono patriſamilias, qui profert de theſauro ſuo noua & vetera. Viſitabat ſæpe prouinciam ſibi commiſſam, ſacram verbi doctrinam ſeminando: & vt plura vno verbo concludantur; per omnia fidelis ſeruus, & prudens, quem constituit Dominus ſuper familiam ſuã. Erat etiam, vt diximus, valdè dulcis & affabilis, pius, & mitis, quibus virtutibus, miro modo omnium ad ſe attrahebat affectum: & nihilominùs tantùm erat in Dei amore eleuatus; quòd in contemplatione aſſiduè fixus, vix poterat ad corporalem refectionem declinare: vocatus tandem, ab oratorio & ſtudio lætus & hilaris, ad menſam deſcendebat. Anno autem ſeptimo ſui Epiſcopatus, Diuino amore totus accenſus totis præcordiis, delicias, pompáſque huius ſæculi funditùs volens relinquere, & Domino fonti viuo pleniùs vacare; cunctis ſtrenuè diſpoſitis, ciuitatem ſuam cum dignitate reliquit; & in Monaſterio S. Eugendi (quod eſt iuxta fines dictæ diœceſis) omni Clero & populo dictæ ciuitatis renitente, ac lacrymis ipſum reuocante (ab Angelo, vt ferunt, Monachis prænunciatus) deuenit: ibique habitum, vitamque monachalem arripuit.

Reſidens verò in dicto Monaſterio, per omnia vt verus monachus ſe gerebat: erat enim in diuinâ contemplatione ſuſpenſus, in orationibus aſſiduus, in ieiuniis continuus, in vigiliis feruidus, in ſanctis lectionibus & meditationibus præclarus: comedebat, & dormiebat vt Monachus: in Diuinis verò officiis peragendis, primus omnium eccleſiam intrabat, & vltimus recedebat: ſuo ſanctiſſimo exemplo omnes ad perfectionem monaſticam promouebat. Per idem tempus

Sanctus

Sanctus Iniurioſus Abbas, vir vtique magnæ ſanctitatis & prudentiæ, dictum Monaſterium regebat: qui videns Beati viri ſanctitatem, ei humiliter præſentauit regimẽ ipſius Monaſterij; ſupplicando, quatenùs dignaretur ipſum, & oues Domini paſcere & regere: quod vir Sanctus, cum grandi manſuetudine renuit. Completis autem quinque annis ab introitu S. Claudij, Sanctus Iniurioſus Abbas migrauit ad Dominum: quo dato eccleſiaſticæ ſepulturæ, Fratres venerabiles dicti loci, communi conſenſu, cum magno deuotionis ardore, præfatum beatiſſimum Præſulem elegerunt ſibi in Paſtorem: & habito eius (quem eximiâ charitate, quâ erat præditus, dedit,) aſſenſu, miſerunt ad Sedem Apoſtolicam, poſtulantes beatum virum ſibi dari in Prælatum. Sanctus verò Ioannes Sanctæ Sedis Apoſtolicæ apicem tenens, qui prædictum Sanctum optimè nouerat, eiſdem Fratribus, ac Monaſterio beatiſſimum virum conceſſit in Paſtorem: quod non ſine Diuinâ diſpoſitione factum eſſe creditur, quòd in loco, in quo plures floruerant Sancti, beatiſſimus Præſul adnumeraretur, & locus ipſe inſignior efficeretur.

Accepto autem regimine dicti Monaſterij, multi Clerici tàm Eccleſiæ Biſuntinenſis, quàm aliarum Eccleſiarum; necnon multi iuuenes nobiles diuerſarum vrbium, oppidorum, & terrarum, ad eum cateruatim confluebant, cupientes ei adhærere, ac cum magnâ inſtantiâ poſtulantes ſe recipi in Monaſterio: quos beatiſſimus Pater abſque difficultate, & perſonarum acceptione recipiebat. Videns autem beatiſſimus Pater, in dicto Monaſterio magnum monachorum numerum, diſpoſuit recuperare oblationes olim dicto monaſterio per Reges & Principes factas. Vnde primò huius rei causâ perrexit

Pariſios ad Regem Clodoueum; cuius prædeceſſores (Reges ſcilicet Burgundiæ & Franciæ) dona, ſeu penſiones largiſſimas prædicto obtulerant monaſterio. Apud dictum Regem ipſa dona ſeu penſiones repetiit: qui Rex benignè confeſſus eſt, ſe debere, & ſoluere teneri dicto monaſterio, & Fratribus ibidem Deo deſeruientibus, pro ſupplemento victus, & veſtitus dictorum Fratrum, ſummam quinquaginta modiorũ tritici, & quinquaginta modiorum hordei, & quinquaginta librarum denariorum argenti. Deum teſtor, quòd ego propriis oculis vidi, & legi in archiuis dicti monaſterij, inter alias chartas vnam, diuerſis ſignis & characteribus ſignatam, ſuper dictas ſummas confectam, ſic incipientem: Clodoueus Francorum Rex, omnibus præſentem paginam lecturis, ſalutem. Acceſſit ad nos vir Venerabilis Claudius, &c. Et non ſolùm monachis, qui tunc in ipſo Monaſterio in magno numero erant, neceſſaria adminiſtrabat; verùm etiam pauperibus Chriſti, & omnibus aduentantibus, alimenta ſufficienter diſtribui faciebat. Non eſt noſtrum enarrare, quatenùs vir ipſe beatiſſimus ipſum monaſterium augmentauit: nam ſi de tẽporalibus libeat fieri ſermonẽ; eccleſias ipſius monaſterij muniuit pretioſiſſimis indumentis, vaſis, crucibus, & candelabris aureis & argenteis, libris decentiſſimis, pannis ſericis: Sanctorum verò reliquias repoſuit in capſis argenteis, lapidibus pretioſis adornatis: monaſterium, & domos ipſius, ædificiis decenter reparauit & auxit: iura alienata recuperauit. In ſpiritualibus verò, dici non poteſt, quantùm monaſterium auxerit: nam libri ſermonum eius, redditi Fratribus, ex quibus cognoſci poteſt, qualis in doctrinâ fuerit: ſed inſuper ex ſcripturis ipſiu smonaſterij, & potiſſimè beati Ruſtici, (qui ſub

Beato

Beato viro in Monaſterio, officio Prioris clauſtralis functus, poſt ipſum Abbas exſtitit)poteſt videri quales Fratres ſub ipſo Sancto fuerint. Patrator verò miraculorum fuiſſe dignoſcitur, de quibus exſtant libri conſcripti. Fuit autem Pater Beatiſſimus in dicto Monaſterio Abbas annis quinquaginta quinque. Fuit verò in hoc ſæculo vſque ad quartum annum Childeberti Francorum Regis.

Nunc verò aliqua dicenda ſunt de eius glorioſiſſimo fine. Expleto autem anno quinquageſimo quinto, à quo tempore Abbas electus fuit, ſanus & immunis ab omni maculâ, licèt eſſet antiquus, & plenus dierum, incidit in quamdam leuem infirmitatem: tertiâ autem die ſuæ infirmitatis, conuocari fecit omnes Fratres, quibus prolixum & luculentum fecit ſermonem, in quo miris rationibus dulciter eos monuit, primò de Diuino amore, ſecundò de contemptu huius mundi, tertiò ne aliquo modo triſtarentur de eius receſſu: & videns eos vberrimè flentes, acceptâ ab omnibus pace, eos è cellâ ſuâ abire præcepit, totámque exinde ſequentem noctem in orationibus peregit. Quartâ verò die, cum ſuorum adiutorio in eccleſiam perrexit; & in ipsâ, ſacramenta ſacræ Pœnitentiæ, & Dominici Corporis, totus profuſus in lacrymas, veneranter recepit: & cupiens fugere pompas vrbium, & honorem populorum, corpus ſuum in ipſo monaſterio ſepeliri iuſſit: deinde ſuorum adiutorio in cellam rediit. Quintâ autem die, circa horam diei nonam, reclinatus ſuper ſcamnum, ſuper quod legendo & orando ſedere ſolitus erat, erectis ſursùm brachiis, manibus iunctis, oculis ad cœlum ſuſpicientibus migrauit ad Dominum.

Vniuerſæ huius narrationis ſumma eſt: *S. Clau-*

dium Salinenſibus Comitibus oriundum, anno ætatis vigeſimo in Canonicum Biſontinum electum: expletis in eo munere annis duodecim (cùm annorum eſſet duorum ſupra triginta) ex Diuino teſtimonio in Archiepiſcopum electum fuiſſe; atque an-
626. no Chriſti 626, à Summo Pontifice confirmatum (is tum erat *Honorius*, vt quidam alij codices habent, qui ſedit ab anno 626, ad 638.) Pertæſum deinde Archiepiſcopalis Curiæ, & priuatæ vitæ ſtudio ductũ, anno ſeptimo ſui Epiſcopatus; ætatis ſuæ 38, vel 39;
632. Chriſti, 632, vel 633, ad *S. Eugendi* monaſterium ſe re-
633. cepiſſe: In quo cùm quinque annos compleuiſſet, defuncto Abbate *Iniurioſo*, vno omnium monachorum conſenſu electus in Abbatem, à Ioanne Papâ eius nominis quarto (vt diſtinctè habent aliæ membranæ; & qui Eccleſiam rexit annis 639, 640, 641,)
639. confirmatus eſt anno Chriſti 639, vel 640; ætatis ſuę
640. 45, vel 46. Conſtitutus Abbas, ad *Clodouæum* Francorum Regem aliquando adiit, res ſui monaſterij curaturus: is eſt haud dubiè *Clodouæus Secundus*, qui ſceptra tenuit ab anno 648, ad 665; vel (vt quidam) ab anno 647 ad 664: nam ad *Clodouæum tertium*, (qui Rex fuit ab anno 689, ad 693) vix crediderim iter aggreſſum S. Claudium, iam tum nonagenarium: & videtur indicari in relatâ hiſtoriâ, eum primis Abbatiæ ſuæ temporibus ad Regem veniſſe; vt ſcilicet omnia conſtitueret quaſi de nouo, quæ ad creditam ſibi familiam pertinerent, & collapſa illius iura reſtitueret. Cùm denique Abbatis partes ſuſtinuiſſet

annis quinquagintaquinque, ad cœlos euolauit, octauo Idus Iunij, quæ dies ipſi etiam ſacra eſt in Martyrologiis Biſontino, ac Romano(quamquam in alio quodam Biſontinenſis eccleſiæ S. Stephani Martyrologio, notetur eius feſtum die præcedenti, his verbis: *Nonis Junij, In diœceſi Lugdunenſi S. Claudij Archiep. Biſontini.)* Obiit autem anno quarto *Childeberti* Francorum Regis: Is eſt *Childebertus ſecundus*, cuius regni annus quartus cadit in annum Chriſti Seruatoris 695, vel 696: eſt verò ætatis S. Claudij circiter centeſimus. 695. 696.

Quæ cùm optimè conueniant, facilè apparet non potuiſſe S. Claudium intereſſe Concilio Epaunenſi, quod celebratum conſtat anno Chriſti 509: neque in Biſontino Archiepiſcopatu, vel S. Nicetio proximè ſuffectum eſſe,(vt nõnulli ſenſerunt:)vel ſextum à Nicetio præfuiſſe eidem eccleſię,(vt habet nouum Breuiarium Biſontinum, ex pleriſque catalogis, in quibus S. Claudius primum à *Geruaſio*, & ſextum à *Nicetio* locum obtinet:) cùm enim S. Protadium floruiſſe conſtet regnante Clotario ſecundo, qui è viuis exceſſit anno Chriſti 632; neceſſe eſt, fuerit *Protadius* Nicetio propior, vt cum eodem Rege per literas frequenter egerit. Rurſum, cùm *Donati* Archiepiſcopi Biſontini certiſſimæ exſtent mentiones annis 633, 650, & 662, aut circiter(vt mox oſtendemus;)fateri cogimur, eum S. Claudio immediatè ſucceſſiſſe, quippe qui anno 632, aut certè ineunte 633, in Iurenſem eremum ſeceſſerit. Hæc de S. Claudij chronolo-

giâ. Quòd verò in catalogis, ſextus poſitus ſit à Nicetio, à quo eſt ſecundus; id fortè factum habitâ ratione temporis, quò obiit, non quo geſſit Archiepiſcopatum: nam vt vidimus, ab Archiepiſcopatu abdicato, ſexaginta ampliùs annos, quà Abbas, quà monachus, in monaſterio Iurenſi egit.

Eius acta (etſi non ſatis ad chronologiæ normam aptata,) & miracula, Gallico idiomate vulgauit anno ſuprà ſæcularem nono, *Henricus Boguetius*, Magnus apud San-Claudianos Iudex: in quem anno proximè ſequenti, *Lectius* neſcio quis è Caluinianorum turbâ μαστιγοφόρος, impudenti quidem, & audaci, ſed planè elumbi atque eneruì oratione Geneuæ declamauit; cui nomen eſſe voluit *Claudiomaſtix*. Dignus ipſe plagis, & impietatis atque imperitiæ notâ; qui non modò ſuâ illâ mimicâ, & certè puerili eloquentiâ exploſerit pium honeſti viri conatum; ſed & in debitam Sanctis, ac ſacris eorum reliquiis venerationem, vaniſſimis argumentis diſputarit. Nos eum porrigere iubemus manum *Bellarmino*, aliiſve, qui noſtri huius æui nouatorum commenta exſufflarunt.

XXV.

SANCTVS DONATVS.

DONATVM familiæ ſuæ, ſed patriæ magis ac Biſontinæ Eccleſiæ, Sanctiſſimi viri Columba

lumbani vota pepererunt. Rem vtì geſta eſt, refert Ionas cap. 13 vitæ S. Columbani: quo ideò libentiùs vtimur; quòd, vt ipſemet teſtatur, ſuperſtite adhuc Donato ſcripſit: hoc eius opus habetur apud Bedam tomo 3.

Erat tunc temporis Dux quidam nomine Vvaldelenus, qui gentes, quæ inter Alpium ſepta, & Iurani ſaltus arua incolunt, regebat: huic ſoboles nulla erat, vt Iuuencus de Zachariâ & Elizabeth ait: Gratius vt donum iam deſperantibus eſſet. Hic cum coniuge ſuâ Flauiâ nomine, & genere & prudentiâ nobili, ad Beatum Columbanum ex Veſontionenſi oppido pergit; precantes ſimul, vt pro eis Dominum deprecaretur; dicentéſque ſe multis opibus eſſe ditatos, ſed cui hæreditatem poſt obitum relinquerent, hæredem non habere. Quibus vir ſanctus; Si, inquit, voti veſtri eſt, vt largitoris donum, eius nomini conſecretis, mihique ex lauacro ſuſcipiendum tradatis; pro vobis Domini clementiam implorabo, vt non ſolùm eum, quem Domino voueatis, habeatis; verùm quanta volueritis pòſt pignora ſuſcipiatis. At illi læto animo promittunt, ſe eius imperiis parituros; tamen pro ipſis Domini miſericordiam non deſinat implorare. Spōdet vir Dei, muneribus plenus, ſe in promptu habere: tantùm ne pacti fœdus ſtudeant violare. Mirum dictu, vix domum remeant, donum creatoris, aluo grauidâ, mater futura exſpectat. Editum autem puerum ad virum Dei defert; ſuis orationibus largitum munus demonſtrat; grates conditori agit, qui ſic ad petitiones famulorum ſuorum, quæſita dona largitur. Quem vir ſanctus ſuis manibus receptum ſacrauit, ſacróque lauacro ablutum ipſe ſuſcepit, Donatúmque nomen imponit, matrique

al. Vvandalenus.

triquc

trique ad nutriendum reddit. Qui pòſt alitus, in eodem monaſterio ſapientiâ imbutus, & Veſontionenſis Pontifex præfectus, nunc vſque ſupereſt eamdem cathedram regens. Qui pòſt in amore Beati Columbani, ex ipſius regulâ monaſterium virorum conſtruxit, quod Palatium nuncupant, ob veterum munimenta murorum. Addidit poſt eum bonitatis largitor, famuli ſui promiſſum, alium filium Ramelenum nomine, qui nobilitate & ſapientiâ pollens, poſt obitum patris in eius honorem eſt ſuffectus, quamuis ſeculari habitu, tamen in creatoris amore vigil. Nam & ipſe in amore Beati viri, in ſaltu Iurenſi, ſuper Nouiſonam fluuiolum, Monaſterium ex eius regulâ conſtruxit, in quo Siagrium Abbatem præfecit: addiditque adhuc duas filias priſtino muneri, & ſeculo nobiles, & Chriſti timori deditas. Poſt iſta munera, mater ipſorum Flauia, poſt mariti obitum, monaſterium puellarum cõſtruxit in ſupradictâ vrbe Veſontionis; & omni munimine roborans, multarum puellarum concionem adunauit. Tanta autem in eis viri Dei gratia flagrauit, vt omnia phaleramenta præſentis vitæ contemnentes, ad omnipotentis Dei cultum anhelarent.

al. Ramelenũ. — al. Agriũ.

Hæc Ionas: & ſimilia vetuſti Biſontini codices, de S. Donati natalibus. De ipſius verò Sanctimoniâ, déque duobus illis Veſontione exſtructis cœnobiis, pauca hæc accipe ex antiquis membranis. *Apicem tantæ dignitatis* (Epiſcopalis) *adeptus, nullo modo eſt à ſuo propoſito alteratus; ſed idem permanens ipſe omnibus proficere cupiens in Chriſto, non deſiſtebat à cœpto officio. Inter Canonicos denique commorans, monachali ſcemâ indutus, ſic erat inter illos, quaſi monachus vnus, Canonici implens officium,*

cium,monachi non amittens propoſitum. Quantam autem ſolertiam in Catholicâ lege conſeruandâ adhibuerit, diligentiamque ſeruauerit,non eſt facile narratu. Fama igitur eximiæ laudis eius vſquequaque propalata, præter ſolitum multos animabat, ad videnda ſummi Euang. Ioannis, & Protomart. Stephani limina: qui omnes recreabantur eius conſolatione, & benedictione roborabantur: & ſi quid Apoſtolico more ſuis offerebatur pedibus, nihil patiebatur in ſuorum expendi vſus;ſed cunctorum pauperum largiebatur neceſſitatibus. Præterea monaſterium infra vrbis mœnia condidit,& in honore B. Pauli Apoſtoli ſacrauit, poſſeſſionibus ditauit, priuilegio muniuit: atque inibi fideles viros ſub B. Benedicti, & B. Columbani Luxouienſi regulâ victuros inſtituit. Suo denique tempore, matre eius Flauiâ cooperante ex propriâ hæreditate, aliud in eâdem vrbe nobile ſanctarum monialium, in honore Beatæ Mariæ eſt ædificatum cœnobium: in quo requieſcit eadem Flauia in pace,& Sirudis eius filia,virgo ſacratiſſima, eiuſque loci Abbatiſſa. Antiquus, & ſexcentis propè abhinc annis conſcriptus Biſontinorũ Antiſtitũ catalogus, qui in veteri libro S. Stephani, non Flauiæ ſoli (vt apertè Ionas) ſed & S. Donato tribuit fundationem monaſterij Beatæ Mariæ, his verbis: *Per iſtum* (Donatum) *recepit Eccleſia villas Domblingum & Arslatum. Aedificauit autem Eccleſiam Sancti Pauli, in quâ etiam in Domino requieſcit: & Iuſſanum monaſterium cum matre ſuâ Flauiâ, quæ ibi ſepulta eſt.*

Quod ergo *Palatium* Ionas vocari dixit, monaſterium eſt S. Pauli, quod hodiéque mœnibus ciuitatis adiacet, quibus à *Dubi* flumine dirimitur. Puella-

rum verò cœnobium, etiamnum à B. Mariâ nomen habet (à quo vicina porta ciuitatis, *Dominæ noſtræ*, ſeu *Beatæ Mariæ* dicta,) & appellari quoque ſolet *Iuſſanum Monaſterium*: quod primùm quidem monialibus extructum eſt; deinde ad Benedictinos Monachos abiit, fuitque Balmenſi monaſterio ſubditū multis ab hinc ſæculis; vt patet ex chartis Friderici Imp. 1153, & Adriani quarti Papæ 1155, relatis in bibliothecâ Cluniacenſi: quibus *Balmenſe cœnobium* cum omnibus eius pertinentiis, inter quas eſt *Iuſſanum monaſterium* (mendosè enim *Viſanum* leges) apud Veſontionem ſitum, Cluniacenſibus datur. Et in quodam inſtrumento cœnobij Bellæuallis Ordinis Ciſtert. dato ad annum 1264, Gaufridi *Prioris Juſſani Monaſterij* mentionem reperimus. Nuper anno 1607, cœnobium illud Minimis conceſſum eſt ad habitandum. In eo verò, ſuper altare quoddam, aſſeruantur in capsâ ligneâ, oſſa quædam muliebria, certè alicuius, cui ſua quondam virtus opinionem peperit ſanctitatis: ſed quæ tandem illa? altum vbique ſilentium. Si quis eſt locus coniecturæ; ego aut Flauiam eſſe dixerim, S. Donati matrem, & illius monaſterij ſaltem ex parte fundatricem (piam vtique fœminam, cui prolem Deus, & eam prolem miraculo conceſſerit; quæque ſe Deo, & ſuas opes, & liberos, gratum holocauſtum, conſecrarit:) aut ſanè ipſius filiam *Sirudim*, (quibuſdam *Surudim*) eius monaſterij Abbatiſſam: cùm vtramque ibidem ſepultam conſtet. Verùm autem altero antiquius, *Iuſſanum*

num, an S. Pauli monaſterium; partim ex allatis Ionæ verbis colligitur, cùm dicit puellarum monaſterium à *Flauiâ* poſt obitum mariti conſtructum: partim ex S. Pauli necrologio, vbi *Dux Vvandalenus*, Flauiæ maritus, ſepultus dicitur in eccleſiâ S. Pauli. Ex his quippe conſtat, cœnobium Sancti Pauli, excitatum iam fuiſſe, cùm exceſſit è viuis *Vvandalenus*, adeóque *Iuſſano monaſterio*, (quod nonniſi eo defuncto ædificari cœpit) eſſe antiquius.

Vvandalenum porrò cùm Ducem legis; caue ſupremum Burgundiæ Principem intelligas: nam eo tempore Burgundiæ Regnum, Francorum Regibus paruit, fuitque prouincia Francica, per Præfectos regi ſolita, quos *Maiores domus*, aut *Maiores Palatij Burgundici* nuncupabant: ea fuit Vvandaleni, patris S. Donati, dignitas. Et fidem faciunt vetuſti commentarij cœnobij Beſuenſis, præter *Vvandalenum* S. Donati patrem, alium quoq; eodem tempore *Amalgarium Ducem*, alteri Burgundiæ parti, Francorum Regum nomine, præfuiſſe: ei tres fuiſſe liberos ex *Aquilinâ* vxore, *Andalcirum* ſcilicet, *Vvandalenum*, & *Aldalſindam*. Et in *Andalcirum* quidem (vt penes quē ſtaret ſtirpis ſuæ propagatio) dignitates ſuas, ac præcipuas opes deriuaſſe: aliis duobus, qui Diuino ſe mancipauerant cultui, cœnobia duo (normæ vtrumque Benedictinæ) à ſe exſtructa, atque opimis prouentibus locupletata, quaſi pro dote contuliſſe; *Beſuenſe* ſcilicet monachorum, Vvandaleno, qui *Luxouij* primùm ad vitam aſceticam inſtitutus, ei Beſuenſi

cœnobio Abbas præfuit : *Aldalſindæ* verò, monaſterium Sanctimonialium, prope Ciuitatem Biſontiná exſtructum;quod à loco,*Sanctæ Mariæ de Battant* appellatum eſt. Notant verò ad hæc citati commentarij, Aldalſindam Abbatiſſam, à quibuſdam ſeu prędonibus, ſeu militibus immanitate barbaris, in ſuo ipſius monaſterio dura & dira paſſam : indéque expulſam, ad fratres ſuos in Abbatiam Beſuenſem cõfugiſſe; nec multò pòſt, Beſuenſe ipſum cœnobium, direptum fuiſſe & flammis vaſtatum. Quibus tumultibus, & quo præcisè tempore id contigerit, nõ liquet:hoc certum,eam monialium *de Battant* ſodalitatem, quæ circa S. Donati tempora, primùm ad B. Benedicti regulam inſtituta eſt, Ciſtercienſe poſteâ Inſtitutum ſequutam eſſe : atque agente *Ioanne* Cardinali Epiſcopo Sabinenſi,Apoſtolicæ Sedis Legato (qui paulò antè fuerat Archiepiſcopus Biſontinus) ad illud admiſſam à G. Abbate Ciſtertienſi, ſedente Capitulo generali, dato in eam rem diplomate anno 1228, quod incipit : *Fr. G. dictus Abbas Ciſtertij, totúſque conuentus Abbatum Capituli generalis, dilectis in Chriſto, Conuentui S. Mariæ de Battant Biſunt. ſalutem in Domino. Iuſtis petentium deſiderijs, &c.* At paulò antè fuiſſe illis ædificatam eccleſiam, aut potiùs reædificatam, fidem facit charta eiuſdem Ioannis, adhuc Archiepiſcopi Biſontini (ex archiuo S. Magdalenes Biſont.) quæ eſt huiuſmodi:

Ioannes Dei gratiâ Biſontinus Archiepiſcopus, vniuerſis præſentes literas inſpecturis, rei geſtæ notitiã. Sciant omnes, quos

quos ſcire oportuerit, quòd cùm domus Monialiū Ciſtertienſis Ordinis, ſita ſupra fontē Batēti, fundari deberet(ad normā ſcilicet Ciſtertienſem reſtitui,) *ne ex eccleſiâ ibi ædificandâ, vel cimeterio, eccleſiæ B. Mariæ Magdalenes fieret præiudicium & grauamen; de conſenſu Canonicorum eiuſdem eccleſiæ, & prædictæ domus, iura vtrorumque per noſtras literas ſic duximus declaranda: videlicet quòd quicumque inſtituetur ſacerdos in dictæ domus eccleſiâ, in ſuâ inſtitutione iurabit in manu Archiepiſcopi, vocatis Decano & Capitulo S. Mariæ Magdalenes, quòd eis bonâ conſcientiâ fidem ſeruabit in iis, quæ pertinent ad ius parochiale, &c. Actum anno Domini* 1226, *menſe Februarij.*

Anno deinde 1267, vnum è Sanctarum 11000 Virginum Martyrum corporibus Coloniæ Agrippinæ (vbi quondam trucidatæ ſunt) effoſſum, à *Margaritâ* Flandrenſi, & Hayonenſi Comitiſsâ per ſororem *Alaydim* Monialem S. Antonij Pariſienſis acceperunt: quod hodiéque in nouis ſuis ædibus, magnâ veneratione aſſeruant. Vetus ſiquidem illarum monaſterium, ſupra fontem *de Battant*, extra muros ciuitatis conſtitutum, (quia illius oberat ſecuritati) anno 1595, laceſſitâ bellis Burgundiâ, decreto Senatus ſolo tenùs dirutum eſt: Moniales in *Iuſſanū Monaſterium* deductæ; donec anno 1599, propriæ illis ædes in Arearum vico attributæ ſunt.

Sed vt de S. Donati chronologiâ nonnihil afferamus. Subſcriptus in primis legitur Synodo Cabilonenſi, ſub *Clodoueo* Secundo celebratæ; de quâ Baronius anno *662*: alij circa annum *660*, celebratam pu-

tant. Meminit item *Iacobus du Breul* in antiquitatibus vrbis Pariſiacæ, & rurſus in earum ſupplemento, cuiuſdam priuilegij immunitatis, & exemptionis ab omni ſubiectione Epiſcoporum & Clericorum, quod *Audobertus* Pariſiorum Antiſtes conceſſit monaſterio *Foſſatenſi* (nunc *S. Mauri* dicto, ab anno 868, quo in illud importatum S. Mauri corpus) quodque confirmauit *Clodoueus Rex, anno Regni ſui quinto, Indictione quintâ, die 15 Maij: & quatuor Archiepiſcopi, videlicet Gaudericus Lugdunenſis, Annobertus Senonenſis, Preſtelandus Bituricenſis, & Donatus Beſontionenſis: ſeptemque Epiſcopi, qui omnes tum in Regis aulâ erant, atque ad ſanctam Synodum euocati conuenerant.* Annus quintus Clodouei, eſt Chriſti circiter 650: *circiter* dixi, quia variant chronographi, neque hîc locus eſt de alienâ illâ chronologiâ diſputandi. Erratum autem puto in Indictione, vt quinta, ſit loco ſeptimæ, vel octauæ. Sed antiquior exſtat mentio S. Donati in quadam Synodo, quam refert Flodoardus lib. 2, hiſt. eccleſ. Remenſis, cap. 5, tacito tamen celebrationis loco & tempore. De quâ vt dicam, quod vero mihi ſimilius
633. apparet, habitam puto *Remis*, & anno 633, aut certè
634. 634; cùm Dagobertus (ablato è viuis Clotario patre anno 332) reſtitiſſet iuribus, quæ ipſorum pater, *Ariberto* fratri, teſtamẽto reliquerat: ac ſuorum multâ arte conciliatis animis; eámque ob rem plurimis Regni vrbibus, egregiâ æquitatis & clementiæ ſignificatione luſtratis; Remos tandem, Prælatos Regni, ac Proceres conuocauit. De quo conuentu Nic. Gillius

Gillius in Dagoberto: & antiquior Aimoinus lib.4, cap.17, ex cuius veteri codice, à Dionyſianis Pariſienſibus ſibi commodato, refert Belleforeſtius lib. 1, annal.Franciæ, cap.32, cùm Remos veniſſet Dagobertus, eò quoque ex omni Regno, & nominatim è Burgundiâ, Epiſcopos & magnates de ipſius mandato confluxiſſe: ibique habitis comitiis, viſos magnam partem euocatos Dagobertum ſibi in Principem cooptare. Hoc verò Concilium, (de quo Flodoardus citato lib.2, cap.5,) tempore ſuperiùs notato celebratum fuiſſe, maximè apparet ex Epiſcopis, qui illi interfuerunt; Hi ſunt *Sonnatius Remenſis, Arnulphus Metenſis, Theodericus Lugdunenſis, Sindulfus Viennenſis, Sulpitius Bituricenſis, Modegiſelus Turonenſis, Senocus Eloſanenſis, Leontius Santonenſis, Modoaldus Treuerenſis, Chunnebertus Colonienſis, Richerius Senonenſis, Donatus Veſontionenſis, Auſpicius Auguſtodunenſis, Modoaldus Lingonenſis, Ragnebertus Baiocenſis, Childoaldus Abrincatenſis, Bertegiſelus Carnotenſis, Palladius Autiſiodorenſis, Gondoaldus Meldenſis, Leudebertus Pariſiacenſis, Chainoaldus Lauduni* Clauati, *Godo Virdunenſis, Anſericus Sueſſionenſis,* Claudius *Reienſis, Bertoaldus* Cameracenſis, *Agomarus Siluanectenſis, Cæſarius Aruernenſis, Verus Rutenenſis, Agricola Gabalenſis, Lupoaldus Maguntiacenſis, Vuillegiſelus Toloſanus, Conſtantius Albienſis, Namatius Ecolcſmenſis, Ruſticus Caturcenſis, Audericus Auſcenſis, Emmo Areſcetenſis, Felix Catalaunenſis, Hadoindus Cenomannenſis, Magnebodus Andegauenſis, Ioannes Pictauenſis, Leobardus Nanneticus.* Quorum Præſulum ſi attendas

tendas

tēdaſ chronologiam, comperies primùm Synodum hanc multò eſſe antiquiorem Cabilonenſi, quæ in annũ circiter 660 referri ſolet. Cùm enim è tot Epiſcopis, tres tantùm vtrique interfuiſſe legantur, nēpe *Donatus Veſontionenſis, Palladius Antiſiodorenſis, & Claudius Regienſis;* duodecim ferè inuenias in Concilio Cabilonenſi, quibus totidem alij huic Remenſi Synodo ſubſcripti reſpondent;qui eos in eádem Sede, ſæpe etiam non proximè,ſed vno, pluribuſve interiectis præceſſerunt: vt clarum eſt ex Antiſtitum Gallicorum catalogis. Neque tamen celebrari potuit ante annum 632, cùm adhuc S. Claudius, non-
633. dum autem S. Donatus Veſontione ſedebat:ſed ſe-
634. quenti anno 633, aut 634, ineunte tum Dagoberti Regno, tum Donati Præſulatu. Aberrat autem *Baronius*, dum anno 631, mortuo Clotario, S. Arnulphum Metenſem, ſimul Epiſcopatum abdicaſſe,atque in eremum ſeceſſiſſe dicit, ex Ionâ in vitâ S. Arnulphi, apud Bedam tomo tertio: neque enim auctor ille(ſiue Ionas eſt,ſiue alius quiſpiam) quidquã aliud docet, quàm *S. Arnulphum*, non ante Clotarij obitum ceſſiſſe dignitati ſuę, vt trãquilliorem in ſolitudine vitam ageret. Cæterùm rectè oſtendit *Roſerius* tomo tertio Stemmatum Lotharingiæ,hiſtor. capitali 48; *Arnoldus Vuion* lib.3,ligni vitæ, 18 Iulij;& *Vincent. Barralis* in chronologiâ Lerinenſi; S. Arnulphum anno 622, monaſterium Lerinenſe ingreſſum; ac deinde anno 623, factum Epiſcopum Metenſem,quindecim annos in eo munere exegiſſe: ideóque

que nec ſe vltimò in eremum recepiſſe, nec ei adhuc ſuperſtiti ſuffectum fuiſſe *Goëricum*, ante annum 638. Intereſſe igitur potuit huic Concilio, anno, quem notauimus, 633, aut 634.

Ex his habes annos plus minùs viginti octo, Sedis S. Donati: nempe ab anno 633, ad annum circiter 661: & facilè ſenſerim, ipſum multò etiam vlteriùs 661.
vitam produxiſſe; cùm natus ſit degente Luxouij S. Columbano (ideóque non ante annum 592; immò fortè non multò ante annum 612, quo exſulauit S. Columbanus:) è viuis autem exceſſerit affectæ iam ætatis. Cùm ergo diem obiiſſet ſeptimo Idus Augusti (quæ dies illi feſta eſt in diœceſi Biſontinâ) depoſitus eſt in S. Pauli baſilicâ, quam ipſe conſtruxerat; in quâ etiam ſepultus eſt ipſius pater Dux Vvandalenus: *ex Necrologiis, & aliis antiquis codicibus.*

Exſtat à dextrâ parte cœmeterij S. Pauli, ædicula ſub *S. Donati* nomine, quæ Parochia eſt incolarum *vici Paulini*: illi ſuus olim præerat Parochus, ſeu Curatus; nunc verò illud beneficium vnitum eſt officio *Cantoris S. Pauli.* Non deſunt autem, qui exiſtiment, iacere S. Donatum in eo ſacello, quod ab illo nomen habet: verùm ſepultum in S. Pauli, conſtat ſexcentis antiquorum teſtimoniis; & de tranſlatione, nulla exſtat mentio.

XXVI.

SANCTVS MIGETIVS.

SANCTVS Migetius, vir ſempiternâ memoriâ dignus, in Eccleſiâ Chryſopolitanâ educatus, & ſub S. Donati Archipręſulis diſciplinâ ad omnem virtutem eductus; ei ad Superos tranſlato, conſentiētibus omnium ſuffragiis ſubrogatus eſt. Commendatur à Maioribus noſtris; quòd incruentum Miſſæ ſacrificiũ æterno Deo quotidie offerret; quòd largus in egenos; quòd in diurnis, nocturniſque precibus aſſiduus; quòd nunc huius, nunc illius Sancti propoſito ſibi quòd imitaretur præclaro aliquo facinore, eam ſe diem perdidiſſe putaret, quâ aliquos non feciſſet in virtute profectus. Officia eccleſiaſtica permulta inſtituit, iuſtis in eam rem collatis reditibus: nouo Eccleſiam cenſu & vaſis auxit. *Ordinauit in Eccleſiâ Biſontinâ quinque Archidiaconos cum maiori Archidiacono, qui vices Archiepiſcopi ſupplerent: aſſignauitque eis reditus, quos pro ſede acquiſiuerat. Collationes nihilominùs prædictarum dignitatum, Cameræ Archiepiſcopi; collationem verò maioris Archidiaconi, Decano & Capitulo liberè reſignauit. Poſſeſſiones autem & reditus primi Archidiaconi aſſignauit in Luxouio: ſecundi aſſignauit in Fauerneyo: tertij in Treuâ: quarti in Grayaco: quinti verò in Salinis, & in villarum confinibus prædictarum. Prætereà eccleſiam parochialem, in honorem S. Ioannis Baptiſtæ, prope*

muros

muros ciuitatis, reædificauit: atque circùm hanc cœmeterium benedixit: in quá etiam inſtituit Baptiſterium fieri per ſuccedentium annorum curricula (exceptis tantùm ſabbatis ſanctis Paſchæ & Pentecoſtes, & per octauas eorum.) Nam anteà Ciues & ſuburbani, qui fuerant baptiſandi, in baptiſterio maioris eccleſiæ (S. Ioannis Euangeliſtæ, vbi exſtat hodiéque illud Baptiſterium à *S. Lino* fundatum) *baptiſabantur. In aliis verò eccleſiis parochialibus inſtituit Fontes fieri: videlicet in eccleſiis S. Mariæ Iuſſani monaſterij, S. Mauritij, Sancti Petri, & Sancti Laurentij. Clauſtrum quoque columnis & teſtudinibus ædificauit, ab oſtio eccleſiæ, quod ducit ad palatium, per partem illam, quæ Conuentus dicitur; & per partem Dormitorij vſque ad Refectorium. Priuilegium etiam à S. Macario Patriarchâ Ieroſolymitano dudum huic vrbi conceſſum, & per beatam Helenam delegatum, ſed ſuo tempore iam deletum, per Romanum Pontificem renouari fecit.* Hæc ipſis auctoris antiqui (quem non alium eſſe credimus à *Ternatio*, qui Migetium proximè ſequutus eſt) verbis retulimus; vt appareret quàm alia eſſet ęuo illo ciuitatis Biſontinæ facies, ab eâ quæ nunc eſt: cùm S. Ioãnis Baptiſtæ parochialis eccleſia conſtituta eſſet prope muros ciuitatis. Quæ eccleſia, quòd *baptiſterium* frequenter appelletur in vetuſtis libris eccleſiarum, id à Migetij ætate factum puto, qui ſacros in eâ fontes primus conſtituit: & ad quam fortaſſe per annos aliquot, priuſquàm in aliis quatuor prædictis eccleſiis baptiſteria erigeret Migetius, è totâ ciuitate, accipiendi baptiſmi ergò acceſſum eſt. Quodnam illud priuilegium à Maca-

rio vrbi conceſſum, nondum comperire potui.

De Migetij felici tranſitu, hæc ſubdit idem au-ctor: *Hic autem eius mos erat aſſiduus; vt nocturnæ quieti membra traditurus, ſeſe Sanctorũ pignoribus commendaret, & à ſæcularibus abſolutus curis, in ſanctâ contemplatione animum relaxaret, atque in piâ meditatione neceſſarium corpori ſoporem ſuſciperet. In piâ ergo intentione, quâdam nocte ſoporatus, per viſum ad principalem eccleſiam eſt deductus: vbi contemplabatur quaſi conſiſtentem infinitam multitudinem Abbatum, quorum maior pars videbatur eſſe Sacerdotum. Inter quos vnum recognoſcebat hominem, quẽ (quòd ſibi nouerat familiarem, quia eius comes in Romano itinere exſtiterat) interrogans, quæ tanta eſſet multitudo; audiuit omnes hos mundanam vitam finiuiſſe in B. Ioannis Euangeliſtæ ſeruicio. Quos Beatus Ioannes cum Leuitâ Stephano ad altare prædictæ eccleſiæ cum ineffabili cantus melodiâ deducebat, & ſacris peractis officiis, omnes ab eius manibus viuificum munus percipiebant. Diuinâ itaque reuelatione eſt edoctus; quòd non alia eum maneret carnis reſolutio, niſi in locis, B. Ioannis vicinis oratorio. Qui gratulabundus ſuper tali viſione, ſeque viſitari Diuini reſpectus miſerationes, oratorium B. Ioannis eſt ingreſſus: & ibi ex imo cordis profundo, lacrymis prorumpentibus, ad Deum extendens puram mentem, Dei clementiam ſecretis precibus inuocauit. Quo facto, ad domum quamdam Epiſcopatui proximam declinauit, & ibi cum magnâ Abbatum multitudine, & Cleri, viſitatus eſt: ſacro ſe iuſſit oleo muniri, vnà cũ Corporis, & Sãguinis Domini perceptione. His peractis, aſtantes reſpiciẽs, ſingulis pro exhibito officio gratias retulit: feſſáque membra*

ad requiem

ad requiem in Domino contradidit. Depoſitus eſt in eccleſiâ S. Pauli : ex veteri codice eiuſdem eccleſiæ.

XXVII.

SANCTVS TERNATIVS.

SANCTVS *Ternatius cõſcripſit Biſontinorum Antiſtitũ chronicon, eorúmque res geſtas; incipiens à B. Lino, qui fuit primus Pontifex de Româ miſſus à S. Petro Apoſtolo; & pertingens vſque ad Migetiũ prædeceſſorẽ ſuum.* Vt ne mireris, nos S. Lino primo Pręſule gloriari; aut id neoterici alicuius cõmentum eſſe exiſtimes, quod *Ternatius*, (qui nongentis circiter abhinc annis vixit) ex antiquorum traditione, monumentis conſignauit. Idem Ternatius Eccleſiam Sanctis *Petro & Marcellino* ædificauit in campo Martio; vbi nunc eſt Abbatia S. Vincentij, de quâ ſuo loco. Iacet in eccleſiâ S. Pauli: ex illius cœnobij tabulis.

XXVIII.

SANCTVS GERVASIVS.

SANCTVS Geruaſius clariſſimâ familiâ natus, *Ternatij* frater & ſucceſſor : ab eo primùm ad omnem pietatem inſtitutus, ei denique excedenti

ſuffectus eſt vel nolens. Quo in munere, cùm plebem ſibi creditam,in vnitate fidei ſtudioſiſſimè cõtineret, ob innocentiam vitæ charus omnibus fuit.

Geruaſio Ternatij primi ſucceſſori, nonnulli *Ternatium* eius nominis ſecundum ſubiiciunt, quem nos,emendatiores codices ſequuti,conſultò prætermittimus: ſicut & in omnibus eccleſiarum catalogis omitti videmus.

XXIX.

FELIX.

FELIX, infeliciſſimis moribus,& patrimonij Chriſti decoctor improbiſſimus, Canonicorum Collegium,virtutum ſcholam, & officinam pietatis, in vitiorum omnium, & luxus academiam conuertit. Tanta quippe ipſius vel incuriâ, vel prauo exemplo,irrepſit in Canonicos morum licentia; vt non modò ſub eo, ex regularibus ac vitæ communi addictis,in proprietarios; ſed etiã è caſtis in obſcœnos, ex piis in ſacrilegos, è pacificis in ſeditioſos, ex Clericis demum in milites euaſerint. Ita infelix ille paſtor commiſſum ſibi gregem, non virenti doctrinæ gramine, non religionis pauit; ſed lethali veratro, & noxiis vitiorum herbis, quaſi veneno infecit. Hinc ſcandala in ciuitate;hinc contentiones, & iurgia; hinc etiam conflictus, & cædes in Cle

in Clero & populo: adeò vt nonnulli ciues grauiter aliquando à Canonicis læſi, cùm vetum eſſet ad manus, ingentem eorum ſtragem ediderint. Timuit ſibi in eo tumultu Felix: & ſcilicet veritus ne in ſe quoque impetus fieret, agente *Comite Montiſbeligardi* clam ſubductus eſt è ciuitate, & ad ſuperiores partes Burgundiæ ſeceſſit: Ex quo fertur nullam vnquã diem (ſiue id æternæ calamitatis prælibatio fuit, ſeu potiùs paterna miſerentis Dei animaduerſio) ſine graui aliquo dolore ac mœrore tranſegiſſe.

Ob hanc verò ortam morum in Clero diſſolutionem, factum puto, vt Canonici nonnulli melioris mentis, ad S. Pauli monaſterium vitæ ſtrictioris ergò ſe conferrent. Vnde in necrológio S. Pauli multos huiuſmodi legas, S. Pauli *Redditos* Canonicos, ex S. Ioannis Canonicis; & hunc in aliis: *X Cal. Martij, obiit Manaſſes eccleſiæ S. Ioannis Decanus, noſter redditus, & hîc regulariter ſepultus.*

XXX.

TETRADIVS II.

CORRVPTISSIME' quoque vixit Tetradius (nonnullis *Tetrardus*:) cuius tempore natum ſub Felice malum ſerpſit longiùs: & Clerus omnis, atque omnis Ordo diſciplinam abiecit. Diſſipatis denique nimio luxu, ſacrarum familiarũ bonis,

bonis, res eccleſiaſtica in eas deuenit anguſtias; vt *Eccleſia Iuſſani Monaſterij, Eccleſia Sancti Marcellini,*(ita antiquus auctor æui illius appellat ædem ſacram SS. Martyribus Petro & Marcellino) *Eccleſia S. Petri*(Apoſtoli,) *quæ ſita eſt in medio ſuburbij, Eccleſia S. Pauli, & Eccleſia SS. Ferreoli ac Ferrucij; in quibus ſingulis ſingulæ fuerant olim congregationes;* vix ſuum quæque ſacerdotem ſuſtentare poſſent. Cui malo, aliiſque multis latè graſſantibus, vt medicinam faceret Zacharias Pontifex, *Bonifacium* monachum Anglum, virum eruditione & vitæ ſanctimoniâ clarum, Biſontinæ, aliiſque Gallicis Eccleſiis luſtrandis, cauſiſque Epiſcoporum & Clericorum auctoritate Apoſtolicâ cognoſcẽdis præfecit. Qui Eccleſiæ Chryſopolitanæ conſuluiſſe dicitur; piis conſiliis excitando, atque ad Epiſcopale munus, exſtincto Tetradio, ſuſcipiendum diſponendo *Albone*, tunc Canonico vitæ auſterrimæ, & egregiæ virtutis. Eam porrò Bonifacio factam poteſtatem, ac delatum Apoſtolici
742. per Gallias Legati munus anno 742, notat Baronius eodem anno: cùm præcedenti 741, queſtus eſſet per literas apud Zachariam Papam, nominatim de luxu Epiſcoporum & Preſbyterorum Galliæ. Tetrardus demum è medio tollitur, cùm in venatione militem ageret, percuſſus ab apro, quem inſequebatur.

XXXI.

XXXI.

ALBO.

ALBO non annis ſed probitate morum grauis, in Epiſcopali Sede conſtitutus eſt magno rei Eccleſiaſticæ bono. Eius hiſtoriam duximus operæpretium referre, ipſiſmet illorum temporum ſcriptoris anonymi verbis.

Hæc fratrum miſera conuerſatio, temporibus iſtorum duorum Pontificum (Felicis & Tetradij*) incorrecta perdurauit, vſquequò Deus, quia tempus miſerendi eius venerat, ſuper his dignatus eſt nunc prouidere. Deſtinauit enim quemdam iuuenem, Albonem nomine, Chryſopolitanæ Eccleſiæ Canonicum, qui aliorum non conſentiens ludibrio, ſanctæ conuerſationis ſtudium quæſiuit. Hic vir, genere nobilis, ſed fide & religione nobilior exſtitit: tantâ enim abſtinentiâ, labore, & vigiliis corpus ſuum attriuit; vt grauiſſimâ, & ferè continuâ ægritudine languens, Conuentum ſequi vix poſſet. Qui vitæ huius naufragia volens euitare, ad monaſterium Luxouienſe ſe tranſtulit, vbi ab Abbate & fratribus loci, benignè receptus eſt. Albo, quem Diuina inſtruxerat benignitas, conſideratis religionis & Ordinis circumſtantiis, modum tam ſagaciter retinuit, vt Adonus Prior dicti Monaſterij, ſanctitate & virtutibus quamplurimùm adornatus, & fratres dicti monaſterij ipſum gratanter retinuiſſent, (ſi voluiſſet) pro ſuæ humilitatis & modeſtiæ ſtatu. Sed ille, quem Deus ſuæ Eccleſiæ Paſtorem præuiderat, ad recuperandam*

dam Eccleſiam Chryſopolitanam, & fratres eius, qui in tam prauo ſtatu conſtituti erant; acceptâ à Priore & fratribus licentiâ, ad dictam Metropolitanam eccleſiam remeauit. Intereà Tetradius tyrannus (his ita peractis) venationibus inſeruiens, ab apro percuſſus moritur. Adeptus igitur Albo, cõſentientibus Ciuibus Pontificatus officium, fratres alloquitur, eiſque verbis benigniſſimis quid Luxouij didicerat indicauit, & vt more illorum religioſorum, viuerent, ammonuit. Qui (quia conſuetudo altera eſt natura) reſponderunt, ſe non aliter velle viuere; ſed ſicut conſueuerant orabant, vt eos viſitare permitteret. Videns autem Albo ſe nihil proficere, Abbatem Luxouienſem cenſuit conſulendum. Abbas verò videns eum zelo Dei duci; ad eius roborandam bonam voluntatem, dictum Priorem Luxouienſem Adonum, ſuâ fultum auctoritate, eidem Archiepiſcopo dedit adiutorem. Venientes igitur ad noſtram matrem Eccleſiam, præfati Archiepiſcopus & Prior, fratres ſatis aptè ſunt alloquuti, nunc quidem blãditiis, nunc verò terroribus, vt à diſſolutione ſuâ diſcedendo, ſe regulari diſciplinæ ſubmitterent, hortabantur. Qui omninò nec poteſtate, nec minis molliri potuerunt; ſed moti ad contumelias deuenerunt. Quod cùm viderent Archiepiſcopus & Prior (ſcilicet ipſorum pertinaciam & duritiam cordis,) propoſuerunt illis vnum de duobus eligendum: aut obediendo mandatis regulæ, Deóque ſeruiendo in monaſterio diſciplinatè viuerent; aut de monaſterio exeuntes, quamcumque viam ſibi viuendi ſumerent. Quod illi audientes, quatuor ipſorum ſimpliciores, ſe ditioni Archiepiſcopi ſubdiderunt; alij ſtoliditate tumentes, & in ſuâ iuuentute confidentes, viam latam quæ ducit ad mortem aggreſſi ſunt. Ordinatis

dinatis denique fratribus, & regulari diſciplina reſtitutis, Adonus Prior vale dicens Archiepiſcopo, ad propria reuerſus eſt. Qui Archiepiſcopus à ſuo numquam recedens propoſito; ſed (ne iactantia videretur,) occultè ſub triticeos panes, alios tenues ex hordeo ſupponebat pro vitâ ſuâ; triticum frangens, aliis erogabat. Similiter dum alij vinum biberent, ipſe aquã in vitro obſcuro, vino modico deſuper infuſo bibebat: Et in orationibus, ieiuniis, vigiliis, tam efficax erat; vt in medio mundi poſitus, nouus efficeretur Eremita. Nam cùm apud Chryſopolitanam vrbem moraretur, domus eius Baptiſterio adhærebat, in quo multorum Sanctorum reliquiæ tenebantur. Nocte de ſtratu ſuo, nemine ſciente conſurgens, ad orationem Deo tantùm teſte pergebat; oſtio diuinitùs reſerato, attentè pſallebat in Baptiſterio. Sed cùm hoc multi temporis ſpatio ageret, tandem ab vno Diacono res manifeſtata eſt: qui Diaconus longè ſtans, vt factum viri ſancti videret & agnoſceret pleniùs, vidit dum vir Dei accederet, oſtium cum claue ſeratum, nemine tangente aperiri: illóque ingrediente, diutiſſimè ſilentium erat: poſteà voces audiuit tanquam multorum pſallentium, per ſpatium quaſi trium horarum. Ipsóque viro ſancto recedente, oſtium ſeratum (vt priùs) inueniebatur: Commotóque ſigno, vir Dei, vt vnus recens ex aliis, ad officium veniebat. Tandem poſt multos annos Epiſcopatus ſui in pace quieuit. Sed cùm iam ſui corporis diſſolutionem imminere ſentiret, dilecto ſibi Vvandeberto, caſtitatis & continentiæ armis accincto, & in virtutum deuotione compoſito, conſenſu Cleri & populi, Eccleſiæ curam paſtoralem commiſit, quam ipſe viriliter cuncta regens, ac paterno affectu diſponens, parui licèt temporis in-

XXVI.

SANCTVS MIGETIVS.

SANCTVS Migetius, vir ſempiternâ memoriâ dignus, in Eccleſiâ Chryſopolitanâ educatus, & ſub S. Donati Archipręſulis diſciplinâ ad omnem virtutem eductus; ei ad Superos tranſlato, conſentiētibus omnium ſuffragiis ſubrogatus eſt. Commendatur à Maioribus noſtris, quòd incruentum Miſſæ ſacrificiū æterno Deo quotidie offerret; quòd largus in egenos; quòd in diurnis, nocturniſque precibus aſſiduus; quòd nunc huius, nunc illius Sancti propoſito ſibi quòd imitaretur præclaro aliquo facinore, eam ſe diem perdidiſſe putaret, quâ aliquos non feciſſet in virtute profectus. Officia eccleſiaſtica permulta inſtituit, iuſtis in eam rem collatis reditibus: nouo Eccleſiam cenſu & vaſis auxit. *Ordinauit in Eccleſiâ Biſontinâ quinque Archidiaconos cum maiori Archidiacono, qui vices Archiepiſcopi ſupplerent: aſſignauitque eis reditus, quos pro ſede acquiſiuerat. Collationes nihilominùs prædictarum dignitatum, Cameræ Archiepiſcopi; collationem verò maioris Archidiaconi, Decano & Capitulo liberè reſignauit. Poſſeſſiones autem & reditus primi Archidiaconi aſſignauit in Luxouio: ſecundi aſſignauit in Fauerneyo: tertij in Treuâ: quarti in Grayaco: quinti verò in Salinis, & in villarum confinibus prædictarum. Præterea eccleſiam parochialem, in honorem S. Ioannis Baptiſtæ, prope*

muros

muros ciuitatis, reædificauit: atque circùm hanc cœmeterium benedixit: in quâ etiam inſtituit Baptiſterium fieri per ſuccedentium annorum curricula(exceptis tantùm ſabbatis ſanctis Paſchæ & Pentecoſtes, & per octauas eorum.) Nam anteà Ciues & ſuburbani, qui fuerant baptiſandi, in baptiſterio maioris eccleſiæ(S. Ioannis Euangeliſtæ, vbi exſtat hodiéque illud Baptiſterium à *S. Lino* fundatum)*baptiſabantur. In aliis verò eccleſiis parochialibus inſtituit Fontes fieri: videlicet in eccleſiis S. Mariæ Iuſſani monaſterij, S. Mauritij, Sancti Petri, & Sancti Laurentij. Clauſtrum quoque columnis & teſtudinibus ædificauit, ab oſtio eccleſiæ, quod ducit ad palatium, per partem illam, quæ Conuentus dicitur; & per partem Dormitorij vſque ad Refectorium. Priuilegium etiam à S. Macario Patriarchâ Ieroſolymitano dudum huic vrbi conceſſum, & per beatam Helenam delegatum, ſed ſuo tempore iam deletum, per Romanum Pontificem renouari fecit.* Hæc ipſis auctoris antiqui (quem non alium eſſe credimus à *Ternatio*, qui Migetium proximè ſequutus eſt) verbis retulimus; vt appareret quàm alia eſſet ęuo illo ciuitatis Biſontinæ facies, ab eâ quæ nunc eſt: cùm S. Ioãnis Baptiſtæ parochialis eccleſia conſtituta eſſet prope muros ciuitatis. Quæ eccleſia, quòd *baptiſterium* frequenter appelletur in vetuſtis libris eccleſiarum, id à Migetij ætate factum puto, qui ſacros in eâ fontes primus conſtituit: & ad quam fortaſſe per annos aliquot, priuſquàm in aliis quatuor prædictis eccleſiis baptiſteria erigeret Migetius, è totâ ciuitate, accipiendi baptiſmi ergò acceſſum eſt. Quodnam illud priuilegium à Maca-

rio vrbi conceſſum, nondum comperire potui.

De Migetij felici tranſitu, hæc ſubdit idem au-ctor: *Hic autem eius mos erat aſſiduus; vt nocturnæ quieti membra traditurus, ſeſe Sanctorũ pignoribus commendaret, & à ſæcularibus abſolutus curis, in ſanctâ contemplatione animum relaxaret, atque in piâ meditatione neceſſarium corpori ſoporem ſuſciperet. In piâ ergo intentione, quâdam nocte ſoporatus, per viſum ad principalem eccleſiam eſt deductus: vbi contemplabatur quaſi conſiſtentem infinitam multitudinem Abbatum, quorum maior pars videbatur eſſe Sacerdotum. Inter quos vnum recognoſcebat hominem, quẽ (quòd ſibi nouerat familiarem, quia eius comes in Romano itinere exſtiterat) interrogans, quæ tanta eſſet multitudo; audiuit omnes hos mundanam vitam finiuiſſe in B. Ioannis Euangeliſtæ ſeruicio. Quos Beatus Joannes cum Leuitâ Stephano ad altare prædictæ eccleſiæ cum ineffabili cantus melodiâ deducebat, & ſacris peractis officiis, omnes ab eius manibus viuificum munus percipiebant. Diuinâ itaque reuelatione eſt edoctus; quòd non alia eum maneret carnis reſolutio, niſi in locis, B. Ioannis vicinis oratorio. Qui gratulabundus ſuper tali viſione, ſeque viſitari Diuini reſpectus miſerationes; oratorium B. Ioannis eſt ingreſſus: & ibi ex imo cordis profundo, lacrymis prorumpentibus, ad Deum extendens puram mentem, Dei clementiam ſecretis precibus inuocauit. Quo facto, ad domum quamdam Epiſcopatui proximam declinauit, & ibi cum magnâ Abbatum multitudine, & Cleri, viſitatus eſt: ſacro ſe iuſſit oleo muniri, vnà cũ Corporis, & Sãguinis Domini perceptione. His peractis, aſtantes reſpiciẽs, ſingulis pro exhibito officio gratias retulit: feſſáque membra ad requiem*

ad requiem in Domino contradidit. Depoſitus eſt in eccleſiâ S. Pauli : ex veteri codice eiuſdem eccleſiæ.

XXVII.

SANCTVS TERNATIVS.

SANCTVS *Ternatius cõſcripſit* Biſontinorum *Antiſtitũ chronicon, eorúmque res geſtas; incipiens à B. Lino, qui fuit primus Pontifex de Româ miſſus à S. Petro Apoſtolo; & pertingens vſque ad Migetiũ prædeceſſorẽ ſuum.* Vt ne mireris, nos S. Lino primo Pręſule gloriari; aut id neoterici alicuius cõmentum eſſe exiſtimes, quod *Ternatius*, (qui nongentis circiter abhinc annis vixit) ex antiquorum traditione, monumentis conſignauit. Idem Ternatius Eccleſiam Sanctis *Petro & Marcellino* ædificauit in campo Martio; vbi nunc eſt Abbatia S. Vincentij, de quâ ſuo loco. Iacet in eccleſiâ S. Pauli: ex illius cœnobij tabulis.

XXVIII.

SANCTVS GERVASIVS.

SANCTVS Geruaſius clariſſimâ familiâ natus, *Ternatij* frater & ſucceſſor : ab eo primùm ad omnem pietatem inſtitutus, ei denique excedenti

ſuffectus eſt vel nolens. Quo in munere, cùm plebem ſibi creditam, in vnitate fidei ſtudioſiſſimè cõtineret, ob innocentiam vitæ charus omnibus fuit.

Geruaſio Ternatij primi ſucceſſori, nonnulli *Ternatium* eius nominis ſecundum ſubiiciunt, quem nos, emendatiores codices ſequuti, conſultò prætermittimus: ſicut & in omnibus eccleſiarum catalogis omitti videmus.

XXIX.

FELIX.

FELIX, infeliciſſimis moribus, & patrimonij Chriſti decoctor improbiſſimus, Canonicorum Collegium, virtutum ſcholam, & officinam pietatis, in vitiorum omnium, & luxus academiam conuertit. Tanta quippe ipſius vel incuriâ, vel prauo exemplo, irrepſit in Canonicos morum licentia; vt non modò ſub eo, ex regularibus ac vitæ communi addictis, in proprietarios; ſed etiã è caſtis in obſcœnos, ex piis in ſacrilegos, è pacificis in ſeditioſos, ex Clericis demum in milites euaſerint. Ita infelix ille paſtor commiſſum ſibi gregem, non virenti doctrinæ gramine, non religionis pauit; ſed lethali veratro, & noxiis vitiorum herbis, quaſi veneno infecit. Hinc ſcandala in ciuitate; hinc contentiones, & iurgia; hinc etiam conflictus, & cædes in Cle

in Clero & populo: adeò vt nonnulli ciues grauiter aliquando à Canonicis læſi, cùm ventum eſſet ad manus, ingentem eorum ſtragem ediderint. Timuit ſibi in eo tumultu Felix: & ſcilicet veritus ne in ſe quoque impetus fieret, agente *Comite Montiſbeligardi* clam ſubductus eſt è ciuitate, & ad ſuperiores partes Burgundiæ ſeceſſit: Ex quo fertur nullam vnquã diem (ſiue id æternæ calamitatis prælibatio fuit, ſeu potiùs paterna miſerentis Dei animaduerſio) ſine graui aliquo dolore ac mœrore tranſegiſſe.

Ob hanc verò ortam morum in Clero diſſolutionem, factum puto, vt Canonici nonnulli melioris mentis, ad S. Pauli monaſterium vitæ ſtrictioris ergò ſe conferrent. Vnde in necrologio S. Pauli multos huiuſmodi legas, S. Pauli *Redditos* Canonicos, ex S. Ioannis Canonicis; & hunc in aliis: *X Cal. Martij, obiit Manaſſes eccleſiæ S. Ioannis Decanus, noſter redditus, & hîc regulariter ſepultus.*

XXX.

TETRADIUS II.

CORRVPTISSIMÈ quoque vixit Tetradius (nonnullis *Tetrardus*:) cuius tempore natum ſub Felice malum ſerpſit longiùs: & Clerus omnis, atque omnis Ordo diſciplinam abiecit. Diſſipatis denique nimio luxu, ſacrarum familiarũ bonis,

bonis, res eccleſiaſtica in eas deuenit anguſtias; vt *Eccleſia Iuſſani Monaſterij, Eccleſia Sancti Marcellini,* (ita antiquus auctor æui illius appellat ædem ſacram SS. Martyribus Petro & Marcellino) *Eccleſia S. Petri* (Apoſtoli,) *quæ ſita eſt in medio ſuburbij, Eccleſia S. Pauli, & Eccleſia SS. Ferreoli ac Ferrucij; in quibus ſingulis ſingulæ fuerant olim congregationes;* vix ſuum quæque ſacerdotem ſuſtentare poſſent. Cui malo, aliiſque multis latè graſſantibus, vt medicinam faceret Zacharias Pontifex, *Bonifacium* monachum Anglum, virum eruditione & vitæ ſanctimoniâ clarum, Biſontinæ, aliiſque Gallicis Eccleſiis luſtrandis, cauſiſque Epiſcoporum & Clericorum auctoritate Apoſtolicâ cognoſcẽdis præfecit. Qui Eccleſiæ Chryſopolitanæ conſuluiſſe dicitur; piis conſiliis excitando, atque ad Epiſcopale munus, exſtincto Tetradio, ſuſcipiendum diſponendo *Albone*, tunc Canonico vitæ auſterrimæ, & egregiæ virtutis. Eam porrò Bonifacio factam poteſtatem, ac delatum Apoſtolici
742. per Gallias Legati munus anno 742, notat Baronius eodem anno: cùm præcedenti 741, queſtus eſſet per literas apud Zachariam Papam, nominatim de luxu Epiſcoporum & Preſbyterorum Galliæ. Tetrardus demum è medio tollitur, cùm in venatione militem ageret, percuſſus ab apro, quem inſequebatur.

XXXI.

XXXI.

A L B O.

ALBO non annis ſed probitate morum grauis, in Epiſcopali Sede conſtitutus eſt magno rei Eccleſiaſticæ bono. Eius hiſtoriam duximus operæpretium referre, ipſiſmet illorum temporum ſcriptoris anonymi verbis.

Hæc fratrum miſera conuerſatio, temporibus iſtorum duorum Pontificum (Felicis & Tetradij *) incorrecta perdurauit, vſquequò Deus, quia tempus miſerendi eius venerat, ſuper his dignatus eſt nunc prouidere. Deſtinauit enim quemdam iuuenem, Albonem nomine, Chryſopolitanæ Eccleſiæ Canonicum, qui aliorum non conſentiens ludibrio, ſanctæ conuerſationis ſtudium quæſiuit. Hic vir, genere nobilis, ſed fide & religione nobilior exſtitit: tantâ enim abſtinentiâ, labore, & vigiliis corpus ſuum attriuit; vt grauiſſimâ, & ferè continuâ ægritudine languens, Conuentum ſequi vix poſſet. Qui vitæ huius naufragia volens euitare, ad monaſterium Luxouienſe ſe tranſtulit; vbi ab Abbate & fratribus loci, benignè receptus eſt. Albo, quem Diuina inſtruxerat benignitas, conſideratis religionis & Ordinis circumſtantiis, modum tam ſagaciter retinuit, vt Adonus Prior dicti Monaſterij, ſanctitate & virtutibus quamplurimùm adornatus, & fratres dicti monaſterij ipſum gratanter retinuiſſent, (ſi voluiſſet) pro ſuæ humilitatis & modeſtiæ ſtatu. Sed ille, quem Deus ſuæ Eccleſiæ Paſtorem præuiderat, ad recuperan-*

dam Eccleſiam Chryſopolitanam, & fratres eius, qui in tam prauo ſtatu conſtituti erant; acceptâ à Priore & fratribus licentiâ, ad dictam Metropolitanam eccleſiam remeauit. Intereà Tetradius tyrannus (his ita peractis) venationibus inſeruiens, ab apro percuſſus moritur. Adeptus igitur Albo, cõſentientibus Ciuibus Pontificatus officium, fratres alloquitur, eiſque verbis benigniſſimis quid Luxouij didicerat indicauit, & vt more illorum religioſorum, viuerent, ammonuit. Qui (quia conſuetudo altera eſt natura) reſponderunt, ſe non aliter velle viuere; ſed ſicut conſueuerant orabant, vt eos viƐtitare permitteret. Videns autem Albo ſe nihil proficere, Abbatem Luxouienſem cenſuit conſulendum. Abbas verò videns eum zelo Dei duci, ad eius roborandam bonam voluntatem, dictum Priorem Luxouienſem Adonum, ſuâ fultum auctoritate, eidem Archiepiſcopo dedit adiutorem. Venientes igitur ad noſtram matrem Eccleſiam, præfati Archiepiſcopus & Prior, fratres ſatis aptè ſunt alloquuti, nunc quidem blãditiis, nunc verò terroribus, vt à diſſolutione ſuâ diſcedendo, ſe regulari diſciplinæ ſubmitterent, hortabantur. Qui omninò nec poteſtate, nec minis molliri potuerunt; ſed moti ad contumelias deuenerunt. Quod cùm viderent Archiepiſcopus & Prior (ſcilicet ipſorum pertinaciam & duritiam cordis,) propoſuerunt illis vnum de duobus eligendum: aut obediendo mandatis regulæ, Deóque ſeruiendo in monaſterio diſciplinatè viuerent; aut de monaſterio exeuntes, quamcumque viam ſibi viuendi ſumerent. Quod illi audientes, quatuor ipſorum ſimpliciores, ſe ditioni Archiepiſcopi ſubdiderunt; alij ſtoliditate tumentes, & in ſuâ iuuentute confidentes, viam latam quæ ducit ad mortem aggreſſi ſunt. Ordinatis

dinatis denique fratribus, & regulari diſciplinæ reſtitutis, Adonus Prior vale dicens Archiepiſcopo, ad propria reuerſus eſt. Qui Archiepiſcopus à ſuo numquam recedens propoſito; ſed (ne iactantia videretur,) occultè ſub triticeos panes, alios tenues ex hordeo ſupponebat pro vitâ ſuâ; triticum frangens, aliis erogabat. Similiter dum alij vinum biberent, ipſe aquã in vitro obſcuro, vino modico deſuper infuſo bibebat: Et in orationibus, ieiuniis, vigiliis, tam efficax erat; vt in medio mundi poſitus, nouus efficeretur Eremita. Nam cùm apud Chryſopolitanam vrbem moraretur, domus eius Baptiſterio adhærebat, in quo multorum Sanctorum reliquiæ tenebantur. Nocte de ſtratu ſuo, nemine ſciente conſurgens, ad orationem Deo tantùm teſte pergebat, oſtio diuinitùs reſerato, attentè pſallebat in Baptiſterio. Sed cùm hoc multi temporis ſpatio ageret, tandem ab vno Diacono res manifeſtata eſt: qui Diaconus longè ſtans, vt factum viri ſancti videret & agnoſceret pleniùs, vidit dum vir Dei accederet, oſtium cum claue ſeratum, nemine tangente aperiri: illóque ingrediente, diutiſſimè ſilentium erat: poſteà voces audiuit tanquam multorum pſallentium, per ſpatium quaſi trium horarum. Ipsóque viro ſancto recedente, oſtium ſeratum (vt priùs) inueniebatur: Commotóque ſigno, vir Dei, vt vnus recens ex aliis, ad officium veniebat. Tandem poſt multos annos Epiſcopatus ſui in pace quieuit. Sed cùm iam ſui corporis diſſolutionem imminere ſentiret; dilecto ſibi Vvandeberto, caſtitatis & continentiæ armis accincto, & in virtutum deuotione compoſito, conſenſu Cleri & populi, Eccleſiæ curam paſtoralem commiſit, quam ipſe viriliter cuncta regens, ac paterno affectu diſponens, parui licèt temporis in-

teruallo, piè ac ſtrenuè gubernauit.

XXXII.

VVANDELBERTVS.

ALboni igitur adhuc ſuperſtiti ſucceſſit in Epiſcopatu Vvandelbertus (qui & *Vvandalbertus, Gaudalbertus, Vvandebertus* & *Gandalbertus*,) vir vt precibus, ſic ieiuniis, & corporis caſtigationi addictiſſimus, atque (quod ſolidæ virtutis argumentum ſit)de ſe quamdemiſſiſſimè ſentiens : qui deceſſoris ſui veſtigia ſequutus, in munere piè ac ſtrenuè obeundo, eum quoque aliquantulo pòſt tempore ſequutus eſt, felici morte ad vitam immortalem traductus.

XXXIII.

EVROLDVS.

EVroldvs ſeu *Eurordus*, (quibuſdam *Curoldus*, aliis *Conradus*) populum ſuum rexit quietiſſimè:& auctâ re eccleſiaſticâ,anno duodecimo ſui Epiſcopatus exceſſit è viuis.

XXXIV.

XXXIV.

AVRVLCVS.

AVRVLCVS, vel *Arulcus* (qui & nonnullis *Arnulphus*,) illuſtris genere, & rerum gerendarum peritiâ celebris: tum virtutũ cæterarum, tum maximè virginitatis ac puritatis integerrimæ nomine, Deo iuxtà atque hominibus charus fuit.

XXXV.

HERVEVS.

HERVEVS (quibuſdam *Hermes*, ſed forſan mẽdosè) eâdem, quâ *Aurulcus* clariſſimâ familiâ natus; poſtquàm Epiſcopali officio aliquandiu magnâ laude perfunctus eſt; mortem quæ horrori eſſe ſolet, ingenti lætitiâ (qui fructus eſt piè actæ vitæ) excepit.

XXXVI.

SANCTVS GEDEON.

SANCTVS Gedeon homo mitiſſimus, & ad omnem modeſtiam compoſitus; ſummâ animi

æquabilitate vidit ciuitatem à Barbaris penè flammis abſumptam: adeóque afflictam rem eccleſiaſticam, vt ex reditibus eccleſiarum S. Ioannis, & S. Pauli, vix tres miniſtri poſſent ſuſtentari. Eam ciuitati cladem facilè ſenſerim illatam à Saxonibus, qui an-
773. no 773 rebellarunt aduerſùs Carolum Magnum, in *Deſiderio* Longobardorum Rege debellando occupatum; & cum ingenti exercitu hàc illàc effuſi, permulta Regni Francici loca, & nominatim Chriſtianorum eccleſias, ferro flammâque vaſtarunt.
778. Quod idem anno 778 feciſſe leguntur, cùm Carolus Magnus in Hiſpaniâ aduersùs Saracenos dimicaret. *Baronius anno* 773, *num.* 13; *&* 778, *num.* 3, *& ſeqq.*

Bibliotheca Cluniacenſis ab Andreâ Quercetano nuper collecta, in chronologiâ Abbatum, & in chronico refert; Bernonem primum Cluniacenſem Abbatem ordinatum fuiſſe à *S. Gedeone Archiepiſcopo Biſuntino*, *anno* 910. Sed illud, vndecumque irrepſit, haud dubiè mendum eſt: Gedeonem enim, (qui vnicus eſt, & *Bernone* Abbate multò antiquior) noſtri omnes Catalogi, atque annexarum hiſtoriarum ratio, hunc in locum vt referamus planè cōpellunt. Certè vtriuſque illius libelli auctores, non videntur valdè antiqui: erroris verò occaſionem mox indicabo, in Bernuino.

XXXVII.

XXXVII.

BERNVINVS.

BERNVINVS, quibuſdam *Berminius*, & *Germinius*(cui in antiquiſſimis S. Stephani, & S. Pauli catalogis,*Boni* cognomen adiectum vidimus) Illuſtri Regum Auſtraſiorum proſapiâ ſatus, magno eccleſiæ Biſontinæ emolumento, Archiepiſcopalem dignitatem adeptus eſt. Nam in primis baſilicam S. Ioannis, quæ ſub Gedeone in illâ ciuitatis clade conflagrarat, à fundamentis reſtituit, opere magnifico. Prudentibus, & integræ fidei viris ad ſua conſilia adhibitis; in Clero inſtituendo,curádaque re eccleſiaſticâ,inſignem operam poſuit. *Magnates de genere ſuo, videlicet Reges, Duces, Comites, Barones, & alios Chriſti fideles adiit, & præcipuè Conſtantinum Sextum, tunc Imperatorem Romanorum (* imperauit
Conſtantinus V I, cum Irene matre ab anno 780,ad 780.
790:ſolus verò,à 790,ad 797)*vt eorũ auxilio eccleſiæ ino-* 797.
piã releuaret. Quã Eccleſiam largiſſimâ liberalitate ditauit: aureis & argenteis Crucibus, Calicibus, Caſulis, Dalmaticis, tunicis, palliis, Cappis, velis, cortiniſque & poſſeſſionibus ditauit, atque ampliauit. Monaſteria vrbis ſimiliter reparauit: altare maius incomparabiliter adornauit auri & gemmarum fulgore: innumerabilia vaſorum inibi acquiſiuit genera, pulchritudine & valore,nullo pretio taxanda: illudque conſecrauit, & templum reconciliauit in honore Dominicæ

nicæ Reſurrectionis, & victorioſiſſimæ Crucis, atque perpetuæ Virginis Mariæ Dei genitricis, & præcipuè Sanctorum Ioannis Apoſtoli, Stephani Protomartyris, Leuitæ Vincentij, Martyrum Ferreoli & Ferrucionis. In quo quidem altari (ſermo eſt de maiori altari S. Ioannis, quod hodiéque aureâ tabulâ, & gemmis Bernuini liberalitate collatis nitet) *reliquias inſeruit: videlicet de præſepio Domini, & de Sepulchro eius: de capillis S. Mariæ: de Planetâ S. Ioannis Euangeliſtæ: de Dalmaticâ, cum parte ſanguinis S. Stephani: de reliquiis S. Ioannis Baptiſtæ: de reliquiis ſanctorum Ferreoli & Ferrucij; Epiphanij, & Iſidori; Innocentium; Mauricij, & ſociorum eius; Germani, & Antidij Chryſopolitanorum Epiſcoporum; Ioannis Confeſſoris de territorio Lingonenſi; cum multis aliis reliquiis.* Hæc ex antiquo codice: in quo etiam notatur, Canonicos matris eccleſiæ S. Ioannis, Bernuino Archipræſule deſiiſſe eſſe regulares. Ita forſan viſum optimo Antiſtiti, vt modicâ hac relaxatione, malo alicui grauiori occurreret.

811. Anno 811, ſubſcripſit *Bernoinus* teſtamento rerum mobilium Caroli Magni, in quo *Veſontio* cum aliis viginti ciuitatibus in partem bonorum vocatur. *Eginartus*. Et recentior illius mentio habetur in capitulis Regum Franciæ, lib. 2. cap. 25. initio: *In Veſontio, quæ eſt diœceſis Bernoini Archiepiſcopi, Heiminus Epiſcopus, & Monogoldus Comes, &c.* quod capitulum à Lu-
819. douico Pio datum putat Baronius, anno 819. Obiit autem Bernuinus (cùm multos annos præfuiſſet) pridie Idus Aug. ſepultus in *Abbatiâ S. Viti*, ſexto circiter

citer ab vrbe milliario ſitâ, quam à Conſtantino Imperatore acceperat, *ex ms.* Ea Abbatia nunc prorſus deleta eſt.

Bernuinum Archiepiſcopum Biſontinum, conſecraſſe *S. Odonem* Abbatem Cluniacenſem, anno 926; habet Chronologia Abbatũ Cluniacenſium, relata in Bibliot. Cluniacenſi. Verùm cùm citatis annis vixiſſe conſtet Bernuinum: & alium eiuſdem nominis, ipſo recentiorem, nullum habeant catalogi etiam antiquiſſimi, nec vltra Hugonem primum perducti: cogimur in eâ chronologiâ errorem agnoſcere. Verùm quiſquis ille eſt Epiſcopus, qui Sacerdotem inaugurauit S. Odonem; de eo legitur ſub finẽ lib. 1, vitæ S. Odonis, per *Ioannem* monachum, eius æquæuum ac diſcipulum ſcriptæ: ſi quis canis cibum ab illo benedictum deuoraſſet, eum quaſi accepto veneno præſentiſſimo, quamprimùm interire ſolitum: S. Odonem præ animi demiſſione renitentem, tamen ab eo Epiſcopo ad ſuſcipiendam ſacerdotij dignitatem fuiſſe permotum; atque etiam eius rogatu libros quoſdam conſcripſiſſe. In chronico verò Cluniacenſi à centum circiter annis conſcripto, dicitur fuiſſe *Epiſcopus Biſontinus.* At in alio opuſculo, quod inſcriptum eſt *Chronologia Abbatum Cluniac.* qui S. Odonem, non quidem ſacerdotem, ſed Abbatem ordinauit, dicitur eſſe Bernuinus Archiepiſcopus Biſontinus. Ego S. Odonem â Berengario Archiepiſcopo Biſontino (de quo poſteà) & initiatũ ſacerdotio, & Abbatem conſecratum puto: ac pro *B*, aut

Ber, Berengarij notâ, Bernuini ſuppoſitum nomen. Cúmque aut coniectura haberetur, aut certo aliquo teſtimonio conſtaret, Bernonem inauguratum fuiſſe Abbatem ab eo Archiepiſcopo Biſontino, qui S. Odonis conſecratorem proximè præceſſerat: facile fuit Gedeonem Bernuini deceſſorem ſcribere pro Theodorico, qui Berengarium immediatè anteceſſit. Theodoricum enim veriſimile eſt, Bernonem (qui priùs Abbas fuit cœnobij Balmenſis in diœceſi Biſontinâ, quàm Cluniacenſis) anno 910, Abbatem conſecraſſe.

XXXVIII.

AMALVVINVS.

AMALVVINVS ſeu *Amalguinus*, ob eximiam prudentiam, & ſuauitatem cõſuetudinis, omnibus quidem, ſed Regibus maximè ac Principibus chariſſimus fuit. Abbatiam Sancti Pauli auxit prouentibus: aliáſque multas ſuæ diœceſis eccleſias exhauſtas refecit, ac reſtituit afflictas. Hunc verò eſſe
840. putamus *Amaluuinum Archiepiſcopum*, qui anno 840, Indict. 3. ſubſcripſit edicto Imperiali, quo Lotharius recens factus Imperator, Sedem Remenſem reſtituit Eboni, qui vt refert Flodoardus lib. 2. hiſt. Eccl. Rem. cap. 19, & 20.) ob quædam crimina fuerat depoſitus.

XXXIX.

XXXIX.
ARDVICVS.

ARDVICVS pietati, & augẽdis Eccleſiæ opibus intentus, acquiſiuit Eccleſiæ S. Steph. ad luminaria cõcinnanda, ſalariũ Ledonis, de manu Clotharij nepotis Karoli Regis (nẽpe Calui.) *ms. codex S. Steph.*

Notat Flodoardus libro tertio hiſtoriæ Eccleſ. Remenſis, cap. 20, dediſſe *Arduicum* epiſtolam ad Ludouicum Alemannorum, Hunnorúmque Regem, & fratrem Caroli II, Galliarum Regis, cognomento *Calui*, pro Bertulpho Treuerenſi Archiepiſcopo, cum Hincmaro Remenſi, Remigio Lugdunenſi, Erardo Turonenſi, Adone Viennenſi, Egilone Senonenſi Archiepiſcopis; ſed tempus tacet.

Anno 859, interfuit vniuerſali Synodo Tullenſi, 859.
apud Saponarias: cuius acta nuſquam anteà edita dedit Baronius in annalibus: ſimulque duas Synodales epiſtolas; alteram ad Vvenilonem Senonenſem Archiepiſcopum; alteram ad Epiſcopos Britanniæ; cui vtrique præfixum inter cætera *Ardoici Veſontiõnum Metropolitani Epiſcopi* nomen.

Vndecim pòſt annis, adhuc vixiſſe cõſtat Arduicũ: cùm anno 870, prẹfuerit cum Remigio Lugdunenſi, 870.
& Bertulfo Treuirenſi Archiepiſcopis, multorum Epiſcoporum Synodo apud Attiniacum villam cõgregatæ, in causâ vtriuſque Hincmari, *Remenſis* ſcilicet,

licet, & *Laudunenſis.* Quam Synodum Baronius anno 870, num. 35, *latrocinalem* vocat: nec immeritò, ſi Hincmari Remenſis improbitatem attendas; quo agente Hincmarus iunior, Laudunenſis Epiſcopus, eius ſuffraganeus & nepos, interceptus in itinere, & ſpoliatus, ad Synodum indecorè pertractus eſt. Cæterùm, Epiſcopos eò conuocatos non tuliſſe in eum depoſitionis ſententiam; quin lacrymis potiùs ac gemitibus, ſuam in iuniorem Hincmarum (qui peſſimè ab Hincmaro Remenſi, atque à Carolo Rege habebatur) propenſionem teſtatos fatetur ipſemet Hincmarus Laudunenſis, libello, quem obtulit Ioanni octauo Papæ, in Concilio Ticinenſi, anno 878; qui inter eius epiſtolas poſt centeſimam vndecimam poſitus legitur: & refertur à Baronio, anno 878. Arduicum certè noſtrum fauiſſe (quod æquum erat) Hincmaro iuniori, liquet vel ex epiſtolâ ipſius Hincmari Remẽſis, apud Flodoardũ lib. 3, cap. 21, quâ apud nepotem ſuũ queritur, *quòd per Arduicum Venerabilẽ Veſontionenſem Archiepiſcopum, ad ſe miſiſſet breuiculum quoddam profitendum & ſubſcribendũ.*

Ad hæc, Arduico, pro tribus villis, (*Cauennaco, Cãpaniis, & Aliſiaco*, quas ab ipſius deceſſoribus olim poſſeſſas *Atto Comes* Regis conſanguineus obtinebat; aliquot alia bona reſtituit Rex ipſe Hlotharius, dato diplomate cal. Febr. anno Regni ſui 14, Indict. 3, cùm eſſet in itinere ad Sedem Apoſtolicam. Quã chartam, & alias complures mihi pro ſuâ beneuolẽtiâ ſpectãdas dedit vir magnę probitatis & eruditionis

tionis D. Franciſcus *Dorival,* ſacræ Theologiæ & Iuris Canonici Doctor, atque in Metropolitano Capitulo Biſontino Canonicus, & Archidiaconus, dictus *Luxouienſis.* Porrò datum eſt illud inſtrumentũ, à Lothario III Rege, Lotharij Imp. filio, & nepote Caroli Calui; anno quo obiit in reditu ab Vrbe: qui videtur eſſe Chriſti 870, ſi bene hîc notatur Indictio tertia: cùm tamen eum plerique anno 869, Indictione ſecundâ obiiſſe dicant: Et ſine controuerſiâ, malè Baronius, eius obitum refert in annum 868. 870.

X L.

THEODORICVS I.

THEODORICVS, clarus genere, ſed facundiâ, & in dandis conſiliis, prudentiâ ac moderatione illuſtrior, Abbatiam, quæ dicitur *Caſtrum Caroli*; caſtellum item *Choys* cum villis adiacentibus, acquiſiuit eccleſiæ ſuæ; aliiſque multis eâ bonis auxit. *ex manuſcriptis.*

Eo verò ſedente Carolus Caluus, anno 876, à natiuitate ducto, ipſo die Natiuitatis Domini in Imperatorem vnctus & coronatus, celebratâ Ticinenſi Synodo, in Gallias per *Veſontium* rediit. *Aymoinus lib. 5, cap. 32.* Tuncque fortaſſe Vincentij Martyris reliquias Biſontinæ eccleſiæ donauit; quas in veteri co- 876.

dice rituali S. Ioannis, Veſontionem ipſe attuliſſe dicitur. Eodémque anno 876, Carolus Generalem Synodum Pontigonenſem Apoſtolicâ auctoritate indixit: cui vndecimo cal. Iulij, Indictione nonâ inchoatæ, ſolutæ verò 17. cal. Aug. interfuit *Theodoricus Archiepiſcopus Biſontinus*, cum maximâ parte Epiſcoporum Galliæ: quos malè *Tillius* in ordinibus magnatum Franciæ, Ticinenſi conuentui præſentes facit; & Conciliorum Ticinenſis, ac Pontigonenſis Patres ſic recenſet, quaſi Ticini omnes conuenerint: cùm aliter factum conſtet ex Aimoino, & aliis ſcriptoribus.

Ioannis octaui Papæ, plures exſtant ad Theodoricum epiſtolæ: in quibus eum leges à Pontifice di-
878. ctum, nunc Byzentienſem, *epiſt.*151, *Indict.*11, *anno* 878: nunc Biſinçorenſem, ſed mendosè, *epiſt.*110, *eâdem Indict.*11: modò Sanctæ Chryſopolitanæ Sedis Archie-
880. piſcopum, *epiſt.* 245, *datâ* 20 *Iunij*, *Indict.*13, *anno* 880. Epiſtolâ verò 243, eâdem die anni eiuſdem 880 datâ, rogat Ioannes VIII Carolum Regem (nempe *Carolum Craſſum*) vt reſtitui curet res Eccleſiæ Biſontinæ, quas *Hubo* eius Fidelis inuaſerat: quâ de re multis queſtum apud ſe dicit *Theodoricum Sanctæ Chryſopolitanæ Sedis Archiepiſcopum*.

Agente quoque Theodorico, reſtituit *Zuentobolchus* Rex eccleſiæ S. Stephani *villam Pauliaci. ms. codex S. Steph.* Fuit ille Arnulphi in Germaniâ Imperatoris filius (*Zuendibolchum* & *Zuendebaldum* quidam vocant) Lotharingiæ Rex à patre conſtitutus anno

895:

895: qui propagandi regni cupiditate Burgundiam inuaſit. *Regino.* 895.

Theodoricus verò poſt multorum annorum Archiepiſcopatum, præuidens exitum ſuum, omnia ſua pauperibus erogauit; ſaluis, quæ eccleſiæ debebantur, bonis: ſuóſque conuocatos ad pacem hortatus, fœliciter exceſſit.

XLI.

BERENGARIVS.

BERENGARIVS nepos Theodorici, (cui ſucceſſit in Archiepiſcopatu, raptus, & intronizatus communi electione ante altare S. Stephani, cuius erat Canonicus) doctus fuit hæreticorum inſectator: ſed propter Ayminum hæreticum excœcatus, Vicarium habuit in officio Paſtorali Stephanum Bellicenſem Epiſcopum: & decimo tertio ſui Sacerdotij anno in pace quieuit. *hæc ipſis veterum manuſcriptorum verbis.*

In diplomate ſine datâ, quo Hugo primus multa Eccleſiæ S. Stephani conferre ſe teſtatur beneficia; mentio eſt *eccleſiæ S. Martini de Tarceniaco*, olim à Berengario Archiepiſcopo, S. Stephano collatæ.

Eius verò tempore, & iuſſu *Stephanus* Bellicenſis Epiſcopus, tranſtulit ab eccleſiâ S. Petri, villæ quæ *Domnipetra* dicitur, ad caſtrum Montisbeligardi, corpus *S. Maimbodi* Martyris, natione Scoti: cuius feſtum

feſtum in diœceſi Biſontinâ, 23 Ianuarij. Et fertur Berengarius, qui à ſacrilegis hæreticis excæcatus fuerat; in eâ S. Maimbodi releuatione, viſum miraculo recepiſſe.

Ayminus.

IN vetuſto ms. catalogo S.Stephani, Berengariũ ſequitur *Ayminus inuaſor, vocatus pſeudoepiſcopus, non receptus:* propter quem excæcatum diximus Berengarium.

Haud dubiè hic eſt *Leoninus* Archiepiſc. Biſontinus (vt legit Paradinus lib. 2 hiſt. Lugd. cap. 26,) vel meliùs *Eiminus Veſontionenſis* (vt habet Seuertius;) qui cùm pro Biſontino Archiepiſcopo, de facto non de iure ſe gereret, interfuit Synodo Prouinciali Cabilonenſi, celebratæ anno 915, Indict. 3, vt ex antiquis
915. tabulis refert Seuertius in *S. Geraldo* Matiſconenſi: non autem circa annum 883, ſub Carolomanno, vt vult Paradinus loco citato.

Gontherius.

IN catalogo ms. S. Stephani, *Gontherius vocatus Epiſcopus*: quidam codices *Hontherum* habent.

XLII.

GYRFREDVS.

GYRFREDVS, (nonnullis *Gerfredus*, aliis *Godefredus*, & *Guyfredus*) interfuit nationali Synodo, in Abba

in Abbatiâ Trenolchianâ celebratæ anno 944, in quâ decretum eſt, vt reliquiæ, quas monachi Trenolchiani inde eduxerant, ſecúmque in Aruernenſe *S.Portiani* Monaſterium ſecedentes aſportarant, eidem Trenolchianæ Abbatiæ reſtituerentur. De hoc Conciliovi de San-Iulianum, & Seuertij chronologiam. Exſtat inſuper in archiuo Capituli, inſtrumentum contractus cuiuſdam initi, inter *Gyrfredum* Archiepiſcopum, & *Vvilencum* virum Illuſtriſſimum, vnum ex fidelibus *Vgonis* Comitis; *datum V, Cal. Ianuar. Anno VIII, regnante Conrado Rege*. Is videtur eſſe annus Chriſti 947. 944. 947.

XLIII.

GVIDO.

GVIDO, ſeu *Vvido* Gyrfredum ſequutus eſt. Malè cum Goluſius & alij quidam dixerunt fuiſſe poſteà *Calixtum Secundum* Summum Pontificem, quo hic multis annis eſt antiquior; vixit quippe ſæculo decimo; ſedit verò Calixtus II, ſæculo duodecimo, ab anno 1119, ad 1124. Sed fortè errori occaſionem dedit, quòd Calixtus ſecundus, (qui anteà Guido) *patriâ Biſontinus* fuit, filius Guillelmi, & frater Stephani, Burgundiæ Comitum; Archiepiſcopus item, non Biſontinus, ſed Viennenſis; quo in officio conſtitutum Paſchalis II, controuerſiæ de maternitate Eccleſiarum S. Ioannis, & Sancti Stephani

phani dirimendæ delegauit; vt inferiùs referemus in Guilelmo primo.

XLIV.

GVICHARDVS.

GVICHARDVS, ſeu *Vvichardus*, Germanus, Monachus, & Abbas vallis S. Georgij, electus eſt Archiepiſcopus Biſontinus, ſub Othone tertio Rege. *Franc. Belleforeſtius tom.1, coſmogr. volum. 2, lib. 3:* atque ex illo *Arnoldus Vvion lib. 2, ligni vitæ, cap. 19.*

Refert verò Chronicon Cluniacenſe (in bibl. Cluniac.) *S. Maiolũ* (qui anno 954, electus eſt in quartum Cluniacenſium Abbatẽ, obiítque anno 994,) vocatum fuiſſe electione ad Eccleſiam Biſontinenſem: ſed vel priuatæ vitæ amore, vel propriæ imbecillitatis conſcientiâ, id honoris, atque oneris non ſuſcepiſſe: quod deinde aut *Guichardo*, aut fortaſſe *Guidoni* delatum putamus; vel certè etiam *Leutaldo*: cui ex tribus, incertum.

XLV.

LEVTALDVS.

LEVTALDVS (aliis *Leotoldus, Leuraldus*, & *Ieoroldus*) S. Maioli ſucceſſorem S. Odilonem, Abbatem

batem Cluniacenſem conſecrauit, die Pentecoſtes anni 994. *bibl. Cluniac.* 994.

XLVI.

HECTOR.

HECTOREM acquiſiuiſſe S. Stephano Capellam *S. Iuſtini de Camborniaco*, habet charta Sancti Leonis IX Papæ, data 16 cal. Decemb. Pontif. 1, Indict. 3, anno verò Chriſti 1049 *: ex archiuo Capituli.* In Necrologio S. Pauli, obiiſſe notatur ſexto calendas Nouembris.

Bertaldus.

INTER Hectorem & Vvaltherium habetur in catalogo quodam S. Stephani ms. qui in Hugone primo deſinit, antepenultimus hic: *Bertaldus pſeudoepiſcopus non receptus.*

XLVII.

VVALTHERIVS I.

VVALTHERIVS, ſeu *Galtherus*, in corpore affecto mentem integram geſſit: homo manſue-

tus & pius, ſed ſanitatis imbecillo ſtatu, & valetudini vt plurimùm obnoxius. Is quodam tempore, cùm morbo contumaci vrgeretur, deſperatus à Medicis, à beato Agapito Martyre curatus eſt; prout ex antiquo, adeóque ipſius Vvaltherij æquali ſcriptore tibi referimus, ipſiſmet illius verbis, quæ habentur in libris lectionum eccleſiaſticarum S. Ioannis, & S. Stephani, 20 Aprilis.

Caput S. Agapiti, à venerabili Celidonio Archiepiſcopo, qui tunc ciuitati præerat (cùm nẽpe à Theodoſio ſecundo Veſontionẽ miſſum eſt,) *in eccleſiâ S. Stephani, in medio ſcilicet choro fuit reconditum. Super quod, altare quatuor columnis argenteis ſuſtentatum, decentiſſimè fuerat ædificatũ. Verùm quia memoriæ literis ita traditum non fuerat, niſi quantum quorumdam relatio nõ ſatis firma ſuggerebat, pretioſiſſimum munus longo tempore latuerat: ſed miraculis, quæ per eius meritum Dominus faciebat, cunctis circumquáque manentibus virtus Diuina innotuerat: præſtabatur namque ibi cæcis viſus, ſurdis auditus, claudis greſſus, loquela mutis, mundatio leproſis; ſalutem denique ſe petentibus Martyr tuebatur, vulneribus medebatur, morbi diuerſi generis ab ipſo pellebantur: ſic cunctis repertis partibus Medicinæ, de toto non erat dubitandum in Martyre. Vnde, cùm eius miraculorum multitudo occurrat permaxima, quæ partim ab incolis ciuitatis ſunt viſa & audita, partim verò illuſtrium ſenum virorum relatione credita; vnum, quod noſtris factum conſtat temporibus, quodque ab ipſius ore Venerandi Vvaltherij Archiepiſcopi ſæpe audiuimus, particulariter huic noſtro opuſculo inſerere opportunum duximus. Erat enim hic vir*

*vir ſimplicitate admodùm præditus, virtute patientiæ præmunitus, humilitate magnificus, caritate conſpicuus: quem corporis natura infirma & imbecillis quodam tempore & accidentibus ita infecit; adeò omnibus modis, febribus (vt ipſe ſolitus erat referre) ægrotauit, quòd cibi potúſque vſum omninò amiſerat, vixque laſſeſcente Spiritu anhelabat.*Huic *verò cùm nullâ Medicorum ope ſubuentum eſſet, cumque ſibi deeſſe humanum auxilium præſenſiſſet, ſtatuit* Diuinum *quærere, & ad Medicorum potiſſimum Chriſtum confugere. Ad altare namque beati Agapiti ſe deferri præcepit; ſpe & fide roboratus acceſſit; Chriſti Martyri, quatenùs ſibi apud Dominum ſubueniret, corde & animo ſupplicauit. O mira Dei clementia, mira potentia, quæ nunquam deeſt credentibus! Ipſe namque omnipotens, qui B. Petro (vt ſolueret eum de carcere) Angelum ſuum miſit; famulum ſuum & Martyrem Agapitum, pro hoc ægroto orantem copioſè audiuit, & eumdẽ Chriſtum ad ſoluenda eius infirmitatis vincula de ſupernis ſedibus adeſſe conſtituit. Viſus eſt enim B. Agapitus in ſimilitudinem candentis pueri ſancti adeſſe, & ſigno Crucis manu propriâ ſibi benedicere, ac eo modo ſalutare antidotum ſuggerere; Surge, inquit, Vvaltheri, de ſoſpitate ſecurùs, de ſanitate certiſſimus, de viſione lætiſſimus; nihil dubites, nihil hæſites, quia ecce ſanus factus es. Quæ vox certè ita Præſulem noſtrum ſanum reddidit, ac ſi nullum infirmitatis dolorem vnquam pertulerit.*

Cæteris tranſactis multorum annorum curriculis, cùm iam Eccleſia nimiæ exiſteret vetuſtatis, & cùm ferè ſolutis murorum compagibus pateſceret ruinis, Vvaltherius ſcilicet beatæ memoriæ Archiepiſcopus (cuius ſuprà memoriã habuimus)

cœpit ædificare aliam amplioris magnitudinis, infra ambitũ ſuum priorem eccleſiam muris inter ſe diſtantibus non nimio ſpatio continentis: qui quod conceperat mente, non impleuit; ſtatim enim naturæ concedens, in Domino quieuit.

Hæc ibi de Vvalthero: cuius obitus ſic notatus eſt in Necrologiis: 4 *Nonas Octobris, obiit Biſontinus Archiepiſcopus Galtherus, qui eccleſiam S. Stephani reædificauit.* Porrò ſpecies illa, quâ ſe S. Agapitus viſendum Vvalthero præbuerat, rectè exprimit ætatem, (annorum ſcilicet quindecim) in quâ beatus Martyr, acerbiſſima pro Chriſti nomine tormenta, ac mortem, *apud Præneſtinam Italiæ ciuitatem*, tulit. Celebris eſt eius memoria in Eccleſiâ, die 18 Auguſti: & eius, Martyrologia, Romanum, Bedæ, Vſuardi, Adonis, alijque auctores magnâ laude meminerunt: tametſi de eius ſacro capite Veſontionem tranſlato, déque iis quæ ibidem conſequuta ſunt miraculis, illorum nemo (quod ſciam) quidquam habet.

Inter Vvaltherum & Hugonem primum reponendus eſſet Albertus Archiepiſcopus Biſontinus; ſi quis eſſet, qui anno 1025, adfuiſſet Concilio Anſano, in causâ Burchardi Vienenſis, & Gauſleni Matiſconenſis celebrato: ſed mendum puto irrepſiſſe in *San-Julianum*, qui lib. de antiq. Cabilonenſ. *Albertum* quemdam *Archiepiſcopum Biſontinum*, dictæ Synodo præſentem facit. Nam idem auctor lib. de antiq. Matiſcon. dum eos recenſet, qui eidem Anſano Concilio interfuerunt, Albertum hunc omittit: quem etiam præterit *Seuertius*, qui Concilium illud

illud ex antiquis tabulis refert. Mirum certè ſit, ſi ſedem Biſontinam hic Albertus tenuit, cuius ne in vno quidem catalogo, etiam antiquiſſimo, & qui in Hugone primo deſinat, mentionem reperias. Etſi non valdè difficulter legi potuit à San-Iuliano, *Alberti* nomen pro *Vualthero*: qui abſque dubio, anno 1025, 1025.
Biſontinæ eccleſiæ præerat, fuitque (vt ſexcentis monumentis conſtat) immediatus Hugonis primi deceſſor.

XLVIII.

BEATVS HVGO I.

HAVD ſcio, an in Præſulum noſtrorum chronologiâ quidquam obſcurius, vel difficilius, quàm huic Hugoni, & tribus eiuſdem nominis ſucceſſoribus, ſuũ cuique tempus rectè aſſignare: tanta eſt recentiorum in ſentiendo diuerſitas, tãta etiam penuria teſtimoniorum, vt vix appareat, vbi pedem figas. Hoc tamen duce Deo, plurimis monumentis magno labore cõquiſitis, atque ad temporum rationes expenſis, nos effeciſſe credimus; vt iis perlectis quæ pauca ſubiiciemus, quod cuique ex Hugonibus conueniat, in promptu ſit dignoſcere.

Hugo igitur primus, (quo nullus prior eiuſdem nominis, quique in antiquis Precum Biſontinarum Calen

Calendariis *Beatus* optimo iure ſcribitur) cognomẽto *Salinarius*, clariſſimâ apud Salinas familiâ natus (vnde paſſim in diplomatis *Hugo Salinenſis*, vel *Salinis oriundus* dicitur,) Canonicus primùm Biſontinus fuit in eccleſiâ S. Stephani, & *Rodulphi* Burgundionum Regis capellanus; tum Abbas Commendatarius S. Pauli Biſontinenſis, poſt *Albericum*; inde Biſontinus Archiepiſcopus ab anno 1031, ad 1067, aut certè 1066, vt planum fiet ex iis quæ dicturi ſumus.

Et primò quidem, Vgonem, priuſquàm eſſet Archiepiſcopus Biſontinus, reædificaſſe eccleſiam *Sancti Anatolij Salinenſis*, in eâque Ordinem Canonicum inſtituiſſe, conſtitit mihi ex triplici inſtrumento archiui S. Anatolij: primum eſt Rodulphi Burgundio-
1029. num Regis, datum anno Incarnationis 1029, regni Rodulphi Regis 35; in quo hæc habes inter cætera: *Notum volo fieri cunctis regni Principibus tam præſentibus quàm abſentibus, necnon eccleſiarum ordinibus, Vgonem noſtrum capellanum, cognomento Salinarium, Sanctique Stephani Chryſopolitanæ vrbis Canonicum, noſtram præſentiam adiiſſe, humilitérque poſtulaſſe, vt res quas Ragenaldus Comes, in valle Salinenſi, vel in cæteris locis dedit Sanctus Simphoriano & Anatolio, glorioſæque Virgini Agathæ, vel ipſe ſupradictus Comes, vel ipſe Vgo ædificator loci illius, vel cæteri datores, corroboraremus ad honorem Dei, eorumdémque Sanctorum, atque ad refectionem Salinenſium Canonicorũ. Cuius petitioni libenter annuentes ſtatuimus, &c.* Alterum eſt Henrici tertij Regis, datum Aquiſgrani, quinto Idus Iulij, anno Incarn. 1048, Indict. 2; anno verò Ordina

dinationis Domini Henrici tertij Regis Inuictiſſimi 21, Regni 11, Imperij 3; in quo leguntur hæc verba: *In hac quidem S. Anatolij eccleſiâ ante Epiſcopatum præfatus Archiepiſcopus (*Vgonem dixerat*) conſtituit ordinem canonicum: poſteà factus Epiſcopus, rogatu matris ſuæ* (eam eſſe puto, de quâ ſic Necrologium vetus S. Stephani; 7 *cal. Nouemb. obiit Ermemburga Deo fidelis, mater Domni Epiſcopi Hugonis.*) *quæ apud eamdem eccleſiam morabatur, ordinem immutauit, & monachis Diuionenſibus conceſſit. Quod nos audientes, prædium noſtræ Eccleſiæ, ad Eccleſiam alterius regni, & Epiſcopatus tranſlatum eſſe, tulimus indignè, præcipientes ſub obtentu noſtræ gratiæ, quatenus, vt æquum erat, reuerterentur.* Idipſum habet tertiũ diploma Leonis IX, datum 16 cal. Dec. anno Sedis eius primo, Indict. 3, quod ſic incipit: *Leo Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Hugoni Archiepiſcopo Chryſopolitano, &c.* illudque prætereà notat, *monachos Diuionenſes, locum illum* (S. Anatolij Salinenſis) *malè & inreligioſè tractantes, expulſos fuiſſe.* Porrò Vgo, quem iam vidiſti Canonicum S. Stephani Chryſopolitanæ vrbis, & Rodulphi Regis capellanum) in duorum Regum diplomatis (quæ in archiuo S. Pauli Biſontinenſis) accepiſſe refertur à Rodulpho Rege Eccleſiam ſeu Abbatiam S. Pauli: alterum eſt Henrici IV, Regis Romanorum, datum anno 1067, Indict. 4; quo rogatus *ab Hugone Sanctæ Biſonticenſis Eccleſiæ Venerabili electo Archiepiſcopo* (is eſt Hugo ſecundus, de quo poſteà) confirmat donationes & priuilegia, quæ *anteceſſor eius beatæ memoriæ Hugo Archiepiſcopus* cõtulerat ec-

 eccleſiæ

cleſiæ S.Pauli; de quâ hæc verba ſubiungit: *Hanc ecclesiam cum capellis Rex Rodulfus bonæ memoriæ atauus noſter, cum præcepto contulit ei ſuo dilecto adhuc capellano.* Alterum Henrici III, Henrici IV patris, ſine datâ, rogante ipſo Hugone primo conceſſum; in quo ſimilia habes de eccleſiâ S. Pauli: *Hanc eccleſiam cum capellis Rex Rodulfus bonæ memoriæ Auunculus noſter, cum præcepto contulit ei ſuo dilecto adhuc capellano.* Atque id ipſe agnoſcit in diplomate dotationis Canonicæ S. Pauli (de quâ poſteà) dato ad annum 1044: *Hanc eccleſiam*, inquit, *cum capellis tradidit mihi cum præcepto clementia Regis Rodulphi, cùm in capellâ multo labore deſudaſſem, antequàm ad Præſulatum acceſſiſſem.*

1031. Creatum verò Archiepiſcopum anno 1031, fidem facit vetuſtum chronicon S. Benigni Diuionenſis, ex quo nondum typis edito id ſe notaſſe me monuit *Claudius Robertus*, Lingonenſis Preſbyter, inſigni vel eruditione vel morum probitate vir. Cùm autem in inſtrumento quodam S. Pauli Biſontini, è quo mox nonnulla relaturi ſumus, annus Incarnationis 1044, Indictione 12, dicatur Prǽſulatus Hugonis duodecimus, qui minimùm fuit decimustertius; fateri neceſſe eſt, annos tantùm completos, vt ſæpe fit, numerari, & decimumtertium eius Epiſcopatus annũ, quia adhuc pendebat, non accenſeri: cùm alioqui
1032. anno 1032, Indict. 15, ſubſcriptus iam inueniatur *Hugo Chryſopolitanus Archiepiſcopus cum Gaufrido Cabilonenſi, Hugone Niuernenſi, & Elminio Eduenſi* Epiſcopis, diplomati *Euzelini paterno & hæreditario iure Vergiacenſium*

ſium Domini, Pariſiorum Epiſcopi, &c. Auguſtoduni dato, pro Monaſterio Vergiacenſi: quod inter cætera ſpectandum mihi dedit Illuſtriſſimus Cleriadus *de Vergeyo*, Comes Camplitenſis, Eques Velleris aurei, & liberæ Burgundiæ Gubernator optatiſſimus.

Hugoni itaque primo, (quo vix alium reperias, cuius plura exſtent in Eccleſiam Biſontinam merita) prima cura fuit, quæ deceſſor eius *Vvaltherus* piè inchoauerat, ea perficere: baſilicam ergo S. Stephani, quam Vvaltherus nimiâ totius ædificij amplitudine ac vaſtitate excitare cœperat, perduxit ipſe ad ſummitatem, ſed paulò anguſtiorem factam, etſi certè peramplam. Cumque (vt ipſemet teſtatur diplomate Idibus Auguſti dato, abſque inſcriptione anni, quo multa bona eccleſiæ S. Stephani aſſignat, animæ ſuæ remedij causâ, & prædeceſſoris ſui Vvaltherij, *qui me*, inquit, *ſacri baptiſmatis vndâ renouatum ſuſcepit, ac tenuit*) ea eccleſia quotidianis laudibus deficeret, *cuncto videlicet Canonicorum cœtu, B. Ioanni Euāg. ſub Chriſti famulante regimine*; non modò nouum illi Clerum, ac miniſtros adſciuit, ſed & nouis eam prouentibus, veſtibus pretioſiſſimis, vaſis aureis atque argenteis, codicibus, & reliquâ ſacrâ ſupellectile ditauit, eóque nomine cenſus ipſos eccleſiaſticos, & patrimonium ipſum largiſſimè effudit. Atque ab eo primùm ſancitum puto, vt Præpoſiti S. Stephani, olim *Abbates* dicti, (vt conſtat ex chartâ Chuonradi Regis, quam in eccleſiæ S. Stephani gratiam dedit anno Incarn. 967, Regni ſui 28, vbi mentio fit *Ste-*

phani & Ermenfredi Abbatum S. Stephani) Decani in poſterum appellarentur: quod etiam feciſſe eum in eccleſiâ S. Pauli, mox dicturi ſumus.

Cùm autem veteres ædes S. Stephani, nouarum longè ampliorum ambitu circumcluſas mandaſſet dirui, contigit vt altare *S. Agapiti* in medio choro veteris eccleſiæ ſitum, lapidibus, qui è ſublimi deiiciebantur, obrueretur, & confringeretur. In eo altari, fama erat Celidonium Archiepiſcopum, qui Theodoſij Iunioris æuo vixerat, S. Agapiti caput ab eodem Theodoſio miſſum condidiſſe: id Hugo ſollicitè exquiri iuſſit: cumque magnâ vi amoti eſſent alter ac tertius miræ magnitudinis lapides, inuentus tãdem eſt pridem abſconditus theſaurus, miro omnium gaudio ac ſtupore, 12 cal. Maij: cuius rei memoria ex eo tẽpore in officiis eccleſiaſticis quotannis recolitur eâdem die Aprilis viceſimâ. Caput verò Martyris, Hugo Archiepiſcopus in eburneâ magni pretij capsâ repoſuit, donec à Leone IX Papâ intra altare maius S. Stephani conditum eſt, vt mox referemus fuſiùs.

Inter alia porrò beneficia, quæ plurima Hugo citato inſtrumento in Sancti Stephani eccleſiam contulit, eſt alia eccleſia Veſontione in *S. Quintini* honorem conſecrata: cuius certè primam fundationem, etſi diu, multúmque perquiſitam, nullibi adhuc inuenire potui: quamquam in Necrologio S. Ioannis, mentionem reperi illius, qui eam exſtruxit, his verbis: 13 *cal. Maij, obiit Biſuntinus Laicus, qui eccleſiã*

S. Quin

S. Quintini ædificauit:(forſan ex Turrianorũ nobili & antiquâ familiâ fuerit, quorum ibi familiare ſepulchrum eſt)& in Martyrologio S. Stephani, eiuſdem dedicatio ſic notata legitur: *3 Nonas Iulij, Chryſopolis Dedicatio Baſilicæ S. Quintini egregij Martyris, videlicet in honore ipſius, & Beatæ ſemper Virginis Mariæ, & Beatorum Martyrum Benigni & Agapiti.* In eâ eccleſiâ nunc perangustâ, & quæ ſacellum potiùs quàm baſilica dicenda ſit, per D. Outheninum *Bardeletum* Presbyterum anno 1514 inſtauratâ, ſeruatur os quoddam S. Quintini Mart. arculâ ferreâ vetuſtiſſimâ incluſum: eóque conuenire ſolent pridie calendas Nouembris (qui dies beato Quintino ſacer eſt) eccleſiarum S. Ioannis & S. Stephani Canonici, diuinorum officiorum peragendorum causâ, ex veteri conſuetudine in rituum codicibus adnotatâ.

Conſtitutis eccleſię S. Stephani rebus, cœpit agitare animo pius Præſul, vt Deiparæ Virgini Mariæ ſacram ædem ab imo conſtrueret: ſed deliberâti quid ageret, illud demum viſum eſt magis è re Eccleſiæ ſuæ fore, vt quæ bona in nouam Eccleſiam vel exſtruendam, vel dotandam conferre ſtatuerat, eà in eccleſiâ S. Pauli, ſibi quondam à Rodulfo Burg. Rege collatâ (quæ à priſtino ſplendore, atque opibus ipſi olim à S. Donato, primo eius fundatore attributis, prope defecerat) reſtituendâ collocaret. Plana ſunt iſta, cùm ex citatis inſtrumentis Henricorum tertij, & quarti Regum, quæ in archiuo S. Pauli; tum maximè ex diplomate inſtitutionis Canonicæ

1044. S.Pauli,dato ad annum 1044, quod *Hugonis primi teſtamentum* vocant,vbi hæc de ſeipſo Hugo:*Igitur poſt ordinationem (Congregationis venerabilis Patroni noſtri S. Stephani Protomartyris, quam ex bonis ipſius,quæ quondã malè ablata fuerant,& ex proprio beneficio, necnon maternâ hæreditate coadunaueram; diuinitùs prouocatus inſtinctu, volui & in ſanctæ Dei Genitricis honorem, à fundo eccleſiam ædificare, & Canonicorum frequentiâ pro bonorum exhibitione decorare. Dum autem hæc mecum tacitus reputarem, diùque vtrùm hoc aut illud ſurgendo operi cohæreret, conſilio haberem,placuit ſententiam priorem mutare,nec tamen ab incœpto ceſſare. Abbatia etenim S. Pauli, olim in eius honore, nunc Piiſſimæ Virginis Mariæ dedicata, in meã poteſtatem venerat: quam bonæ memoriæ priùs Abbas dum vixit Albericus rexerat. Quapropter in commune conſulenti potiſſimum eſt viſum mihi,vt & quod debebam meæ Mariæ, & quæ erant in meâ poteſtate bona S. Pauli vnirem, vnitúmque Canonicis ibi Deo, & Matri eius, & Beato Apoſtolo, Sanctóque Antidio in eâdem eccleſiâ requieſcenti ſeruientibus attribuerem.* Notatu digna res eſt, eam eccleſiam, quæ nunc nudè à *S. Paulo* nomen habet, nõ illi ſolùm, ſed & Beatiſſimæ *Virgini Mariæ*, & *S.Antidio* Archiepiſcopo Biſontino ac Martyri, (cuius ſacræ reliquiæ ibi aſſeruantur) per Hugonem fuiſſe dedicatam, (vt habes ſuprâ in Antidio) atque à tribus ſimul patronis cognominari, non hoc tantùm, ſed & aliis plurimis, iiſque antiquiſſimis eius eccleſiæ inſtrumẽtis: in quibus paſſim dicitur, *Eccleſia Virginis Matris, gentiúmque Doctoris, & egregij Martyris Antidij.*

Antidij: memineruntque Necrologia S. Pauli, *Xenodochij* olim ſub S. Antidij nomine erecti, iuxta eccleſiam S. Pauli, & circa annum 1483 reædificati: ſed ei nunc deleto, aliæ ſucceſsêre publicæ charitatis domus, de quibus nos ſuis locis.

Inde multis recenſet Hugo, quos fundos, quos cenſus, ac reditus, vel ex fructibus beneficiorum, vel ex patrimonio, Canonicis S. Pauli aſſignet: ac tandem in eâ eccleſiâ deſignato ſibi tumulo, hæc ad extremum ſubiicit: *Rogo obnixè ne in loco ſupraſcripto Abbas ponatur, neque Præpoſitus ordinetur; quia ſæpiùs quærunt quæ ſunt propria, negligúntque fratrum commoda: Decanus ibi conſtituatur, talis tamen qui à Fratribus eligatur, & qui magis velit prodeſſe quàm præeſſe. Si quis igitur ſucceſſorum, vel hæredum ſupraſcripta iura infringere vel calumniare voluerit, niſi reſipuerit, ſit damnatus anathemate, quorum Epiſcoporum ſubſcribimus nomina, auctoritate; ſitque pars illorum cum Dathan & Abiron, quos terra viuos abſorbuit; & cum his, qui dixerunt Domino Deo, recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus; & cum Iudâ proditore Domini, qui cœlo, terræque peroſus crepuit medius. Vt autem hoc noſtrum teſtamentum, firmius habeatur poſt obitum, ſigilli noſtri impreſſione ſignamus, Suffraganeos, Conſocios, Coëpiſcopos firmare rogamus.*

Signum Hugonis Archiepiſcopi, qui hanc chartam fieri iuſſit, & propriâ manu firmauit, cæteríſque idem fieri rogauit. S. Henrici Lauſonnenſis Epiſcopi. S. Theoderici Baſileenſis Epiſcopi. S. Aymonis Bellicenſis Epiſc. S. Aymonis Sedunenſis Epiſc. S. Odolrici Lugdunenſis Archiepiſcopi.

S. Elmui

S. Elmuini Auguſtodunenſis Epiſc. S. Hugonis Lingonenſis Epiſc. S. Vvidonis Cabilonenſis Epiſc. S. Vvaltherij Matiſcenſis Epiſc. S. Leudegarij Viennenſis Archiepiſcopi. S. Renconis Aruernenſis Epiſcopi, Hieroſolymis reuertentis. S. Rogerij Catalaunenſis Epiſcopi Romá redeuntis. S. Frotlandi Syluanectenſis Epiſc. Romam pergentis. S. Frederici Geneuenſis Epiſc. S. Stephani Anitienſis Epiſc. S. Pontij Valentinenſis Epiſc. S. Emmonis Darentaſienſis Archiepiſ. S. Hugonis Niuernenſis Epiſ. S. Artaldi Gratianopolitani Epiſ. Ego Ermenfredus ſanctæ Chryſopolitanæ Eccleſiæ Cancellarius recognoui. Data VII cal. Aprilis, die Annunciationis S. Mariæ Matris Miſericordiæ, Indict. XII, Anno Dominicæ
1044. *Incarnat. M XLIIII: anno verò Domini Henrici III, Ordinationis eius XVI, Regni V, Præſulatus Domni Hugonis anno XII. Actum Biſontij publicè feliciter, Amen.*

Miretur fortaſſe quiſpiam, tot conueniſſe ad vnius eccleſiæ firmandam atque illuſtrãdam dotationem Epiſcopos, quà Metropolitanos, quà Suffraganeos; ni magnum Hugonis noſtri nomen atque auctoritatem attendat. Quia verò egimus de eccleſiâ S. Pauli ab illo reſtitutâ; operæ pretium duximus, eius eccleſiæ ſtatum à primâ ſuâ origine, ad noſtra vſque tempora, hîc breuiter ob oculos ponere; adiecto etiam Abbatum quàm fieri potuit integerrimo catalogo.

Status

Status Eccleſiæ S. Pauli, & eius Præpoſitorum ſeries.

Diximus in *S.Donato*, Monaſterium S.Pauli ab eo primùm exſtructum, atque inſtitutum ad S. Columbani regulam Luxouienſem; tuncque (vt ex Ionâ retulimus) *Palatium* vocari ſolitum: multa deinde damna paſſum ſub *Felice*, & *Tetrardo* impiis Præſulibus: demum *Alberico* Abbate mortuo, à Rodulpho Rege Hugoni primo, tunc ſuo capellano collatum; qui illud, vt vidimus, anno 1044, reædificatum opimis dotauit prouentibus, voluitque vt eius Prǽfecto, non *Abbas* (quod anteà) ſed *Decanus* nomen eſſet.

Primus igitur Decanus fuit *Vvichardus*, ſeu *Guichardus*, ab anno 1044, vltra 1069, quo anno nominatur in chartâ Alexandri Papæ, monaſterio S.Pauli conceſsâ: immò longè etiam vlteriùs, ſi eo agente ſuſpenſus eſt Hugo ſecundus à Legato Gregorij VII, circa annum 1078. Eius obitus notatur in Necrologio S. Pauli, 10.cal. Nouembris.

Gerardus Decanus S. Pauli, in duobus diplomatis Hugonis tertij 1092, Indict.15.

Oddo Decanus S.Pauli, ſub Hugone tertio, ex diplomate ſine datâ: & anno 1108, Paſchalis II Papæ 9.

Aymo Decanus S. Pauli, 1122, Calixti II anno 4, 14 cal, Aprilis.

Inuecta eſt deinde in illud Monaſterium, S. Auguſtini regula: à quâ cùm ſolutiores nonnulli ab-

horrerent, grauis orta eſt contentio, quæ anno 1131, ab *Anſerico* Archiepiſcopo certis conditionibus definita eſt: ſimul conſtitutum, vt Decanus ſæcularibus Canonicis præeſſet, Prior verò regularibus. Decanorum ab eo tempore nulla mentio.

Gerlandus vel *Garlandus*, Prior S. Pauli, annis 1131, 1132.

Petrus Prior Sancti Pauli, ex diplom. 1236, menſe Maij.

Vvichardus ſeu *Guichardus* Prior S. Pauli, 1138, 1140, 1143.

Hieremias Prior S.Pauli, ſub Theodorico ſecundo Archiep. ex diplom.

Stephanus Prior S.Pauli, 1220, 1229, 1230, 1233.

Cùm autem anno 1132, vetuiſſet Innocentius quartus dato Cluniaci diplomate, ne quis, qui S. Auguſtini regulam ſequi nollet, in B. Pauli cœnobium admitteretur, ſenſim defecêre ſeculares Canonici: & anno demum 1252, in Auguſtinianam normam domus tota conſenſit: cui eo nomine primus Abbas præfectus eſt,

1 *Stephanus de Cicons*, qui obiit pridie Nonas Ianuar. 1558, ex Necrologio Sancti Pauli, ſepultus in Capitulo.

2 *Otho de Vennes*, ſecundus Abbas, 1558: obiit 8 Idus Februar.

3 *Renaudus*, tertius Abbas, 1262: obiit 3 Non. Iul.

4 *Ioannes de Sauigneyo*, 1272, 1281, 1294, 1303: obiit 9 cal. April. 1304.

5 *Hugo*

5 *Hugo de Monte-Bozonis*, 1312, 1327: obiit idibus Martij, 1332.

6 *Henricus de Sauigneyo*, 1348: obiit 1362.

7 *Ioannes de Marigniaco*, Decretorum Doctor, 1363.

8 *Theobaldus de Nans*, 1371: obiit 16 cal. Maij, 1379.

9 *Hugo de Caſtellione Guietæ*: obiit 5 Nonas Octob.

10 *Ioannes de Valletrauerſa*: obiit 9 cal. Maij.

11 *Odo de Sauigneyo*, 1387, 1390: obiit 9 Maij: ſepultus apud S. Paulum, in ſacello S. Mariæ.

12 *Henricus de Falerans*, 1400, 1404: obiit 13 cal. Maij, 1406.

13 *Robertus de Babigneyo*, Doctor in Decretis, ex Abbate vigeſimô S. Stephani Diuionenſis, 13 Abbas S. Pauli: obiit 1428, 6 cal. Martij; ſepultus in imâ naui S. Pauli, cum hoc Epitaphio ad murum:

Hîc ante eſt tumba cernua
Abbati Roberto grata:
Sic ſolent ſepeliri
Regulares Canonici.

Præcedenti anno 1427, obierat Veſontione Ioannes *Soardi* Abbas vigeſimus primus S. Stephani Diuionenſis, iacétque in eccleſiâ S. Pauli.

14 *Simon de Claraualle*, 1432.

15 *Simon de Domnoprato*, ab anno 1439: obiit 1467. Eius verò tempore, nempe anno 1444, migrauit ad Superos *B. Ioannes Baſſandus*, qui ex Canonico regulari S. Pauli Biſontinenſis, factus fuerat Celeſtinus in Italiâ. *Chopinus in monaſtico.*

16 *Petrus de Roſeriis.*

17 *Carolus de Nouocaſtro*, Archiep.Biſontinus, Abbas commendatarius S. Pauli: obiit 13 cal. Aug.1498.

18 *Ioannes de Palude*, 1499.

19 *Franciſcus de Palude.*

20 *Petrus Rolinus.*

21 *Antonius de Gorreuodo*, piiſſimus Lauſanenſis Prȩſul: dicitur fuiſſe Abbas per annos 51: obiit 24 Febr.1598, ſepultus in S.Pauli.

22 *Proſper à Baumâ*, Decanus Capituli Biſōtini: obiit 7 Iunij 1599: ſepultus cum Decanis in naui eccleſiæ S.Stephani.

23 *Carolus Madrucius*, presb.Card.tt.S. Thomæ in Parione, Epiſc.Tridētinus: nūc viuit, & præeſt 1618.

Hæc ſatis de monaſterio, & Archimandritis Sancti Pauli: ad Hugonem redeamus.

1046. Anno 1046, Hugo Chryſopolitanus Archiepiſcopus *Halinardum* patre Lingonenſi, matre Æduenſi nobilibus natum, & filium ſpiritalem in baptiſmate, Galtheri Epiſcopi Æduēnſis; poſt regimen cœnobiale apud Benignianos Diuionenſes, annorum circiter viginti, in Lugdunenſem Archipræſulem electum conſecrauit, in loco, cui nomen *Herbeſtain*, coram Henrico nigro. (*Chronicon Sancti Benigni.* Halinardus ille, quem inter æui ſui Antiſtites locum obtinuerit, vel ex eo intelliges, quòd (vt habet idem chronicon) mortuo Damaſo ſecundo, Romani eum ab Henrico Cæſare Pontificem poſtularint anno 1048: ſed eo præ animi modeſtiâ moras trahente, ne id honoris inuaſiſſe potiùs, quàm admiſiſſe

miſiſſe videretur; delegit Henricus *Brunonem Tullenſem Epiſcopum* (qui Leo IX dictus eſt) Hugonis Comitis filium, virum vt regij ſanguinis claritate, ſic eximiâ virtute conſpicuum: qui cùm Vvormatiâ (vbi delectus fuerat) Romam peteret, Veſontione
iter habuit; ibíque quinto nonas Octob. anni 1048, 1048.
altare maius eccleſię S.Stephani ſollemni ritu dedicauit: & in eâdem eccleſiâ *ſeptem Canonicos Cardinales*
inſtituit (quod ipſum ſequenti anno 1049, primùm 1049.
Coloniæ, ac deinde Remis feciſſe legitur apud Vibertum lib. 2 vitæ Sancti Leonis, & alios) aliáque geſſit, de quibus conſtat, tum ex archæo Capituli Biſontini, tum ex antiquâ tabulâ in eâ baſilicâ appensâ; quam (quia breuis eſt) hîc tibi deſcribimus.

Anno ab Incarnatione Domini milleſimo quadrageſimo octauo, quinto nonas octobris, conſecratum eſt altare Sancti Stephani à Domno Leone VIIII Papâ, in honore Dominicæ Aſcenſionis, & Sanctiſſimæ Dei Genitricis ſemper Virginis Mariæ, & Beati Protomartyris Stephani, & S.Ioannis Euangeliſtæ, & Beatorum Martyrum Vincentij, Agapiti (cuius caput, cum maiore oſſe brachij ſancti Stephani, & duobus nodis de ſpinâ ſancti Vincentij, ab ipſo Papâ infra idem altare eſt reconditum) coram Epiſcopis & Abbatibus, & Caſatis, & populo qui infinitus conuenerat: ad quem ſanctus Papa ſermonem faciens, annuum concurſum populi inſtituit, tertiam partem pœnitentiæ ſuæ omnibus qui conuenerant condonauit; & cunctis, qui ad anniuerſarium eiuſdem dedicationis per ſæcula conuenirent, eamdem indulgen-

tiam conceſſit. Deinde ſtatuit, vt eadem dies per totum Epiſcopatum ſemper celebris duceretur, & per omnes eiuſdem Epiſcopatus eccleſias, tanquam eâdem die conſecratas, dedicationis officium quotannis ſolemniter celebraretur, quæ reuera benedictionem à capite in membra omnia transfuſam & deriuatam omnes acceperant. Statuit item, vt vigilia & dies dedicationis, in treŭgayâ Dei in perpetuum haberetur: & omnes illi, qui ad eamdem dedicationem, vel ad nundinas ibidem inſtitutas conuenirent, & omnis ſubſtantia eorum vbique, quouſque domum reuerſi eſſent. Satuit quoque, vt ſeptem de Canonicis ipſius loci eligerentur, qui Cardinales vocarentur; qui cum dalmaticâ, mitrâ, ſandalis, chirothecis, ad altare illud ordinati, miſſas ibi facerent: quorum vnus, loci illius Decanus, anulo etiam ad miſſarum ſolēmnia vteretur. Sine dalmaticâ autem nullus vnquam ibi præſumat ſacrificare; quâ tamen nullus vtatur, niſi cui tempore ordinationis ſuæ, vel Apoſtolicâ ſede poſteà fuerit ſpecialiter indulta. In feſtiuitatibus autem omnibus Domini & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, & Sanctæ Dei Genitricis, & omnium Apoſtolorum, & Sanctorum Martyrum, Stephani, Vincentij, Agapiti, Ferreoli, & Ferrucij, & Sancti Archangeli Michaëlis, & dedicatione eiuſdem loci, & feſto omnium Sanctorum, ſandalis, mitris, & chirothecis, tam ſacerdotem, quàm Diaconum & Subdiaconum vti præcepit, ſicut & in cæteris prohibuit diebus. Præterea bannum ſuum Apoſtolicum poſuit, ne quis cœmeterium, quod ipſe ibidem ſacrauerat, vel quæcunque ipſe (vt diximus) ibi ſtatuta decreuerat, in aliquo violare, vel conuellere præſumeret. Poſtremò omnes illos anathematis iaculo confoſſos, in perpetuum dam

damnauit, qui ſcientes eadem ſtatuta ſua infringerent; niſi dignam ſatisfactionem, tam Sedi Apoſtolicæ, quàm loci eiuſdem Canonicis perſoluerent. Quam etiam excommunicationem Epiſcopi, qui ei aſtabant, ſuo aſſenſu, & reſponſione confirmauerunt, quorum hæc ſunt nomina; Halinardus Lugdunenſis Archiepiſcopus, Georgius Colocienſis Eccleſiæ Vngrorum Epiſcopus, Kilinus Sutrienſis Epiſcopus, Fredericus Geneuenſis, Guido Cabilonenſis, Gualtherius Matiſcenſis, Hugo Biſuntinus.

Quem hîc ſubſcriptum legiſti Kilinum, eum eſſe credimus Sutrienſem Epiſcopũ, quem refert *Vibertus* in vitâ S. Leonis lib. 2, cap. 10, cùm in Cõcilio Romano, ſequenti anno 1049 celebrato, Simoniæ delatus excuſaſſet, & falſis teſtibus, qui de ſuâ innocentiâ mentirentur, productis, ad præſtandum de more ſacramentum accederet, ſubito morbo concidiſſe, ac domum delatum, paucos poſt dies miſerè interiiſſe.

Septem illi S. Stephani *Cardinales*, purpureis veſtibus (vt ex vetuſtis imaginibus patet) indui ſoliti, deſiiſſe creduntur, iam inde ab vnione eccleſiarum factâ anno 1253, de quâ inferiùs ſuo loco. Sed omnibus Metropolitani Capituli Canonicis, illud conceſſum non ita pridem à Paulo V, vt violaceâ veſte, Lateranenſium more induerentur.

In eo verò altari, à S. Leone IX dedicato, digna notatu res eſt medius lapis, ſuper quo Chriſti Domini Corpus ac Sanguis conſecrari ſolet, in quo roſa ad duos circiter digitos excauata eſt; hac inſcriptione & figurâ.

In con



In concauam illam roſam, quotannis die cœnæ Domini infundi ſolet ſextarius vini rubri, qui Pintarum ſexdecim eſt, (tantumdem enim capit) de quo bibunt ordine, ex veteri ritu, Canonici, ac deinde populus vniuerſus.

Verùm naſcatur hîc fortaſſe cuipiam in Pontificũ hiſtoriâ verſato ſcrupulus; num valida fuerit ea cõſecratio, aliáq; priuilegia à Leone IX, Biſontinenſi S. Stephani eccleſiæ conceſſa anno 1048, cùm Leo delectus quidem eſſet ab Imperatore, nondum tamen à Clero Romano electus, & in Pontificem conſecratus, quòd ſolùm factum conſtat, duodecimâ die

die Februarij, anni ſequentis 1049: referátque *Otho* 1049.
Friſingenſis, Leonem IX, cùm in purpurâ, & cæterâ Pontificiâ majeſtate, priuſquàm inaugurare tur in Vrbe, Cluniacum ex itinere veniſſet; ibidem ab *Hildebrando* Cluniacenſi Priore grauiter increpatum, quòd nondum à legitimis Electoribus in Sede Romanâ conſtitutus, ſolâ Imperatoris fretus nominatione, iam ſe pro Pontifice gereret: atque eâ monitione permotum Leoné, vt erat ab omni faſtu alieniſſimus, depoſitâ purpurâ, ac ſumpto peregrini habitu, Romam vſque perrexiſſe. Certè, etſi conſecratio altaris, à Leone IX, tunc adhuc *Brunone Tullenſi Epiſcopo* facta, valida fuit (quod ab Epiſcopali charactere pendeat) ideóque non iteranda; tamen indulgentias, aliáque priuilegia, quorum collatio iuriſdictionis eſt Pontificiæ, rata poſteâ haberi oportuit; quod & fecit Leo IX, ex quo ad Pontificatum promotus eſt, dato diplomate, 3 Idus Ianuarij, Indict. 4, anno Chriſti 1051, Pontificatus ſecundo; quod habetur in archiuo Capituli: vbi repetit ac firmat, quicquid eum anno 1048 conceſſiſſe ex veteri tabulâ retulimus: ac ſub finem ait *vidiſſe ſe, & in altari baſilicæ S. Stephani condidiſſe precioſiſſimum S. Stephani brachium, ictibus lapidantium Iudæorum quaſſatum.*

Anno 1049, à Natiuitate inchoato, die Cathedræ 1049.
S. Petri, Ordinatus eſt ab Hugone Biſontino in Cluniacenſem Abbatem (vt notatur in bibl. Cluniac.) *Hugo* ille alter, vitæ ſanctimoniâ, & miraculis clariſſimus, relatus in tabulas Eccleſiaſticas ad tertium

calendas Maïas: quocũ paulò pòſt Synodo Remenſi à Leone IX indictæ interfuit, ineunte Octobri
1049. eiuſdem anni 1049. Refert verò Vibertus Archidiaconus in vitâ S. Leonis, & Anſelmus monachus in eiuſdem Leonis itinerario, S. Leonem primâ die Octobris, ſacrum Beati Remigij corpus ſoléni pompâ humo extuliſſe: quod cùm eâdem die ad Beatiſſimæ Virginis Remenſem baſilicam deportatum fuiſſet, & in altari S. Crucis repoſitum; id honoris Hugoni Biſontino Archipræſuli delatum eſt, vt in tanto Gallicorũ Præſulum penè omniũ, & plurimorum Cardinaliũ, qui in Pontificis comitatu venerât, cœtu, vnus ipſe ad illud altare S. Crucis in S. Remigij honorẽ, ſacroſanctum miſſæ ſacrificiũ peregerit. Mirum porrò contigit in eo Remenſi Concilio, dum variorum Epiſcoporũ agitarentur cauſæ: cùm enim *Hugo Lingonenſis* Epiſcopus, plurimorum criminum, atque inter cætera ſimoniacæ ad Epiſcopatum promotionis delatus eſſet ad Pontificẽ in Synodo; eiuſque cauſam ſuſcepiſſet Hugo Biſontinus, homo pronus ad benefaciendum, & qui nihil poſſet de quoquam mali ſuſpicari, ingenti miraculo obmutuit; ne ſcilicet in causâ iniquâ vir optimus, vel bonâ, vt aiunt, fide patronum ageret. Quo prodigio attonitus Hugo Lingonenſis, nocte ſequenti Remis ſe ſubduxit. Sed poſtridie citatus in Synodo, cùm abſens perculſus eſſet anathemate, & de Epiſcopali dignitate deiectus; tum è ſolio ſurgẽs *Hugo Biſontinus*, profeſſus eſt coram Patribus, cùm pridie illius diei pro
Hugone

Hugone Lingonenſi dicere aggredi vellet, ſibi de repente omnem loquendi facultatem ademptam. Id miraculi S. Leo B. Remigio adſcripſit, eoque nomine publicas illi ab vniuerſâ Synodo grates perſolui voluit. Hæc ex citatis Viberto, Anſelmo, aliiſque tum cuſis, tum manuſcriptis codicibus, qui de Remenſi illâ ſynodo.

Decennio poſt, anno ſcilicet 1059, Indict. 12, die 1059.
ſacro Pentecoſtes, qui tunc fuit menſis Maij 23; cùm Philippus primus Francorum Rex, à *Geruaſio* Archiepiſcopo inunctus eſt in metropolitanâ Remorum Baſilicâ, adſtantibus præter Epiſcopos vigintiquinque, & vigintiocto Abbates (quorum nomina recenſet Tillius) quamplurimis Ducibus, Comitibus, & illuſtribus viris; *Hugoni Biſontino*, quippe ad magna nato, & qui præcipui eſſet inter Gallos Antiſtites nominis, potiſſimæ in tanto virorum principum cœtu ceſſere partes: ei ſiquidē inaugurationi Franci Regis interfuit legatus *Nicolai* Papæ, cum *Ermenfredo* Sedunenſi, altero Pontificis legato. *Tillius.*

Quo verò loco haberetur Hugo noſter, quantíque ab optimo quoque fieret, ſatis oſtendit columen illud Eccleſiæ Petrus Damiani Oſtienſis Epiſcopus, epiſtolâ octauâ libri tertij, quam benè longam ſic inſcribit: *Domno V. Reuerentiſſimo Archiepiſcopo Biſontino, Petrus peccator monachus ſeruitutem:* Vgoni ſcilicet (ſic enim plerunque ſcribunt antiqui) non autē (vt intellexit Baronius literâ initiali deceptus) *Valthero*, cui iam inde ab anno 1031, Vgonem ſuffe-

tum vidimus. Venerat ſcilicet in Gallias Petrus Damiani, ab Alexandro II Pontifice legatus, anno,
1062. iuxtà Baronium, 1062; eumque ex itinere, Veſontione perhonorificè habuerat Vgo Archiepiſcopus: ad quem ille poſteà benè longam epiſtolam dedit, vel amicitiæ, vel grati animi ſignificandi ergò: ex eâ (quoniam aliqua continet, quæ ad res noſtras faciunt, & Vgonem non obſcurè commendant) nonnulla hîc exſcribere duximus operæpretium: ſic incipit:

Non ignoras, Venerabilis Pater, quoniam dum à te receptus hoſpitio, tuis interfui, ſic omnia velut in quadam animi mei tabellâ depinxi, vt nullâ de cætero valeant obliuione deleri. Teneo ſcilicet clauſtrum poſt abſidam eccleſiæ, tuo dumtaxat habitaculo dedicatum; vbi tam priuatè, tam remotè ſtudio potes orationis, ac lectionis inſiſtere, vt eremiticâ videaris ſolitudine non egere. Alterum quoque clauſtrum, quod dextrum tenet latus eccleſiæ, non omiſi; vbi candidus Clericorum tuorum cœtus, tanquàm chorus nitet Angelicus: Illic enim velut in cœleſtis Athenæ Gymnaſio, ſacrarum ſcripturarum erudiuntur eloquiis: illic veræ philoſophiæ ſolerter incumbunt ſtudiis; ſeſeque ſub regularibus exercent quotidie diſciplinis. Nec illud excidit, quia præter iſtas, duas alias nouiter canonicas vno ſimul eodémque tempore conſtruis: vnam ſcilicet cum eccleſiâ ſanctæ Mariæ Magdalenæ; alteram verò cum eccleſiâ, ſi ritè teneo, Sancti Laurentij: & cùm tua non ſit diues Eccleſia, mirum eſt qualiter tam operoſis, tamque magnificis ſit intenta ſtructuris, & tam profuſis quotidie ſufficere poſſit impendiis, &c.

Initio

Initio deſcribit metropolitanam eccleſiam ſancti Ioannis, quæ propè Archiepiſcopiũ: clauſtra item, & ſcholas Clericorum, quæ æuo illo vigebāt. Extollit deinde Hugonis in excitandis ædibus ſacris magnificentiam: quippè qui præter eas, quæ plures erant in ciuitate, canonicas, duas alias egregiâ vel amplitudine operis, vel elegantiâ conſtrueret; alteram cum eccleſiâ S. Mariæ Magdalenes; cum ſancti Laurentij æde alteram. Sed dubium cuipiam eſſe poſſit, num aliqua præextiterit eccleſia S. Magdalenes, cui facta ſit acceſſio nouarum ædium ac prouentuum ad inſtitutionem canonicæ; an verò Hugo Eccleſiam ſub nomine S. Magdalenes omnium primus excitarit. Certè, in diplomate Alexandri II, quod eidem Eccleſiæ conceſſit Laterani 15 cal. Maij, anno 12 Pontif. indict. vndecimâ (hoc eſt anno Chriſti 1073.) habes hæc verba: *Proinde notum eſſe volumus omnibus, qui in Chriſto ſunt, nos Eccleſiam ſanctæ Mariæ Magdalenes, ſitam Biſontij, vltrà Flumen Dubium, iuxta pontem eiuſdem fluuij conſtitutam ab Hugone bonæ memoriæ eiuſdem loci Archiepiſcopo, in tutelam Apoſtolicæ defenſionis ſuſcepiſſe.* Et in chartâ Guillelmi Archiepiſcopi Biſont. datâ anno M C XI, Indict. IV. *Quia Eccleſiam veſtram ſanctæ recordationis prædeceſſor noſter Hugo primus ab imo erexit, ordinem ibi canonicum inſtituit, facultatibus etiam competenter ditauit, nos eiuſdem prædeceſſoris noſtri*, &c. Ex quibus intelligi videtur, primum, qui B. Magdalenæ Eccleſiam Veſontione dedicarit fuiſſe Hugonem. Verùm, ex Petri

Damiani verbis(cum dicit,*conſtructam canonicam cum Eccleſiâ B. Mariæ Magdalenes)* perſpicuè colligi puto, extitiſſe aliquam Eccleſiam ante inſtitutionem canonicæ ab Hugone : Et ſi fas eſt aliquid in re dubiâ coniicere ; crediderim ego æquæuam eſſe Eccleſiam Beatæ Magdalenes, Eccleſiæ S. Laurentij (& ſanè iactat vulgus ex traditione, in eâ quondam Eccleſiâ vixiſſe Sanctimoniales : quod ſi verum eſt, id certè ante Hugonis primi tempora fieri debuit) & ſicuti hanc, ſic illam primùm à Leontio conſtructam ; de quo illud expreſsè notatur, vt ſuprà retulimus, ex annis quinque & viginti, quibus præfuit, ne vnum quidem illi abiiſſe, quin aliquos vel in ædificandis ſacris ædibus, vel in augendâ re Eccleſiaſticâ ſumptus faceret.

Alteram canonicam exſtruebat Vgo cum eccleſiâ S.Laurentij, non longè à S.Magdalene: ea in extremo Ponte olim à Leontio conſtituta, nunc verò ab Hugone primo in canonicam erecta eſt:*anno* demum 1239 (vt habet ms. codex S. Magdal.*) ſequenti nocte poſt diem Natiuitatis Domini, combuſtum fuit igne, quicquid erat à Monaſterio S. Laurentij vſque ad Dubium*: quod ſic accipiendum eſt, vt ipſa quoque S.Laurentij baſilica deflagrarit. Nunc certè in exiguum ſacellum redacta eſt, in foro frumentario conſtitutum, in quod quotannis in vigiliâ B.Laurentij,dens vnus eiuſdem inuictiſſimi Martyris, à Capellanis S. Petri (in quorum eccleſiâ ſeruatur)deferri ſolet,cum ſupplicatione, & precibus publicis : poſtridiè verò,qui

dies

dies eſt S. Laurentio ſacer, à veſperis ad S. Petrum reportari.

Sed ad Hugonem redeamus: ſubdit Petrus Damiani in epiſtolâ ad eum ſcriptâ hæc, quæ ſequuntur: *Illud autem fateor, mihi præ omnibus placuit, quia ſepulchrum tuum mihi tunc oſtendiſti* (in mediâ ſcilicet naui eccleſiæ S. Pauli, in quâ monumentum ſibi excitari curauerat) *à te velut hodie ſuſcipiendum, accuratiſſimè præparatum; vbi tanquam veſpillonum merces, quini nummorum ſolidi, per quatuor altrinſecus angulos in ſudario ſunt ligati: vt inter exſequias funeris, in ipſo quoque pietatis opere, ſepultoribus tuis videatur remuneratio non deeſſe. In quo nimirum Patriarchæ Abrahæ tenere videris exemplum, qui cùm Saram vxorem ſuam ſepelire ſatageret, & omnes filij Eth, electa quæque ſepulchra ſua ſibi gratis offerrent; gratuita contempſit, ab Hephron filio Seor ſpeluncam duplicem comparauit: nam & in ipſo quaternario numero quodammodò cerneris eius imitatus exemplum: ſicut enim quadringentis ſiclis argenti redemit ille ſpeluncam, ſic & tu quaternis quiſque ſolidis aliquo modo videris emere ſepulturam.* & paulò poſt: *Tu autem, Venerabilis Pater, ſapientis mihi videris vſus eſſe conſilio, cùm ſepulturam tibi adhuc viuens, & valens fieri decreuiſti: nam ſi quando deceptrix hæc vita blanditur, ſi fortè mens lenocinante faſtigio cuiuſlibet dignitatis extollitur; mox vt ad exſpectantem ſe talem domum quis oculos dirigit, puluerem ſe, ſicut eſt, cinerémque perpendit. Hinc eſt, quòd per Salomonem dicitur; Quid neceſſe eſt homini maiora ſe quærere, cùm ignoret quid conducat ſibi in vitâ ſuâ, numero dierum peregrinationis ſuæ,*

Gen. 23.

Eccl. 7. 1.

ſuæ, & temporis quod velut vmbra præterit? nec illices titillationum motus præualent carnes in luxuriæ fluxa reſoluere, dum mens cogitur ſcaturientes vermes, ac profluentem ex eiſdẽ carnibus ſaniem cogitare. Plura de mortis recordatione, quæ animum à terrenorũ cupiditate auellat: tametſi nec appetenda ſit mors viro ſapienti, nec fugienda; ſed è duobus (morte ac vitâ) id demum optandum, quod è diuino obſequio, noſtróque, aut proximorum ſpiritali emolumento magis futurum ſit. Subiungit deinde: *Vnum præterea torporis ac deſidiæ ſignum in Eccleſiâ tuâ vidi, quod & tunc, prout expeditionis dictabat hora, corripui, & nunc apicibus tradere non ſuperfluum duco: Plerique ſiquidem ibi Clericorum reſident, dum vel canonica horarum celebrantur officia, vel etiam ipſa Miſſarum offeruntur terribilia ſacramenta. Cuius torporis ignauiam per Galliarum partes, nonnullis ineſſe etiam Monachis deprehendi: quod profectò prauæ conſuetudinis vitium, & correctione dignum, & de ſtadio militantis Eccleſiæ, in his, qui incolumes ſunt, conſtat penitùs eradendum*, &c. Hinc longiſſimâ, & certè piâ ac pereleganti oratione inuehitur in illam conſuetudinem aſſidendi in locis ſacris, tempore diuini Officij, eámque non in Clericis modò, ſed etiam in laicis damnat: Vgonem rogat, eum morem in ſuâ primùm Eccleſiâ emendet, tum in aliis; *Nunc autem*, inquit, *ſufficit mihi ſanctitati veſtræ ſuggerere, vt hoc ignobilis negligentiæ vitium in ſuâ priùs Eccleſiâ corrigat, deinde per cæterarum palmites tanquam falcem ſalutiferæ correptionis extendat: diſtrictè quippe prohibendum eſt, non modò Clericis, ſed*

ricis, ſed & laicis vtriuſque ſexus, vt niſi, ſicut mos eſt, inter nocturni lectiones officij, aliàs dum diuinus hymnus inſiſtitur, nemo ſedeat, niſi corporis eum valetudo compellat : ac nonnullis interiectis, tandem concludit; *Tu autem, dilectiſſime, quia in occiduis partibus, inter Sacerdotes inſignis es, ac celebris famæ; vbique inquantùm potes, & hoc ignominioſæ ſeſſionis opprobrium deſtrue, & cætera, quæ villicatui Sacerdotalis Officij competunt, non ſegniter implere contende; argue, obſecra, increpa, atque, vt idem monet Apoſtolus, vigila, in omnibus labora, & opus fac Euangeliſtæ; miniſterium tuum imple, vt cùm neceſſe fuerit, conſpectui ſummi Paſtoris aſſiſtere, copioſum ac dignum tanto nomine fructum, de peracto valeas miniſterio conſignare :* hæc Petrus Damiani. 2. Timoth.4.

Anno Verbi Incarnati 1063, 3 calendas Iunij, tranſlata ſunt ab Hugone primo oſſa veneranda Diuorum tutelarium *Ferreoli* ac *Ferrucij* Martyrum, à Monaſterio ciuitati proximo ad Metropolitanam baſilicam ſancti Ioannis. Diximus ſuperiùs, vt ſacra Martyrum corpora, quæ diu latuerant, reperta ſint in cryptâ, ſeu antro quodam, *Valentiniano* & *Valente* Imperantibus: vtq; eo loco, qui altero plùs minùs milliari abeſt à ciuitate, *Anianus* Biſontinus Præſul, Eccleſiam, ſeu Monaſterium exſtruxerit; in eáque iuſtis dotatâ prouentibus, Clericos, quibus curæ eſſent ſacra pignora, collocarit. *Diu itaque* (verba ſunt vetuſtorum codicum ſancti Ioannis, & ſancti Stephani) *in ſtatu ſuo, monaſterio permanente, peccatis populi id agentibus, Dei permiſſu, cuius occulta ſunt indicia,* 1063.

Paſtorum negligentiâ ingruente, ad id deuenit; vt ſicut fuerat ſummæ religionis domiciliũ, ita fieret irreligioſitatis contubernium: nam laicorum in beneficium voluntati à quodam Præſule malè conſulto, prædiis ad eum locum pertinentibus traditis, in breui ita dilapſum eſt; vt deſtructâ congregatione, ad Beatorum Martyrum ſeruitutem præter admodùm paucos Sacerdotes idiotas & indociles nullus remanſerit. Cùm ergo communi in excidio totius patriæ, vt in propatulo poſiti SS. Martyres iacerent (quippe quos latrones de Frăciâ ad Burgundiæ perniciem conabantur auferre) ſempiterna pietas Chriſti, populum ſuum tanto patrocinio deſtitui non permittens; non hominum cuſtodiâ, non murorum clauſurâ, non denique loci illius firmitate aliquâ, ſed ſuâ nobis eos tamdiu reſeruauit admirabili gratiâ. Henrici itaque Imperatoris ſecundi tempore, Domnus Hugo Archiepiſcopus, cui hoc amicorum diligentia ſummum periculum intimarat; id gerens voti, quatenus eos ad ciuitatem transferret, habebat occultum; quærebat tamen temporis opportunitatem ad id agendum. Tertio denique calendas Iunij, quod erat craſtinum Aſcenſionis Dominicæ, orandi gratiâ iuſſit illò Clerum & populum Archiepiſcopus (vt eorũm conſuetudo fuerat) conuenire. Ipſo verò eò veniente, Miſſaque per ſe celebratâ, itur ad ſepulchrum, vbi pauſabant præclara cœli duo luminaria gemini fratres, patriam illuminantes, pacem gentibus conferentes, Dei populum liberantes. Sarcophago autem aperto, inæſtimabilis ſuauitatis fragrantia totius Eccleſiæ ambitum reſperſit, quæ Dei præſentiam adeſſe ſine dubio ſignauit. Quoſdam verò è cernentibus qui aderant, viſis eorum oſſibus, diuinus timor quaſi poſitos in extaſi tenuit.

Cernere

Cernere erat Clerum & populum mixtum, præ gaudio, multo lachrymarum imbre madentem, Dei laudibus communiter exultantem. Mirabile viſu; tanta multitudo hominum, cùm nulli nuntiatum fuerit, ibi ſubitò affuit, vt nullus vnquã in tam breui temporis articulo tot conueniſſe meminerit, non tantùm ciues, non tantùm vicina incolentes, ſed de remotis longè partibus occurrentes. Horum autem ſacratiſſimorum corporum partem minorem Domnus Metropolitanus ſagaci vſus conſilio, ad loci conſeruationem, qui in eorum honore dedicatus erat, ſub principali altari ibidem locauit: maiorem verò portionem, quæ ſibi ſemper foret præſidium, ad ciuitatem cum hymnis & laudibus detulit, atque in B. Ioannis Euangeliſtæ, in altari Beatiſſimæ Dei Genitricis Mariæ gloriosè recondidit: vbi glorioſi Martyres, ad ſe confugientibus diuinum præſtant refugium, petentibus patrocinium; ad laudem Domini, cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

Hæc ibi. Nos verò eam tranſlationem retulimus in annum 1063, quòd in hac hiſtoriâ facta dicatur *tertio calendas Iunij, quod erat craſtinum Aſcenſionis Dominicæ*: nam in toto tempore Præſulatus Hugonis primi, nullus eſt annus, quo dies Aſcenſionis inciderit in quartum calendas Iunias, & conſequenter dies Paſchæ in duodecimum cal. Maij, præter annum *milleſimum ſexageſimum tertium*; vt clarum eſt ex computo. Et rectè conuenit, quod habet hæc, quam deſcripſimus, rei geſtæ narratio; Domnum Hugonem Archiepiſcopum (haud dubiè eius nominis primum, qui pluribus annis ante & poſt 1063.

Henrici ſecundi Imperium ſedit) de periculo ex bellicis tumultibus impendente admonitum, ſuum de transferendis reliquiis conſilium, toto Henrici ſecundi (qui anno 1056 exceſſit è viuis) tempore diſſimulaſſe: id verò captâ deinde occaſione perfeciſſe, eo anno, quo craſtinum Aſcenſionis incidit in diem trigeſimam Maij: qui certè annus, non alius eſſe po-
1063. tuit à milleſimo ſexageſimo tertio.

Quia verò in S. Ioannis eccleſiâ repoſitæ ſunt Martyrum reliquiæ ab Hugone primo (cuius ſumma fuit in ſacris ædibus, vel de nouo excitandis, vel inſtaurandis pietas) de eo dictum putamus, quod habet codex ritualis S. Ioannis, 9 cal. Octobris: nempe *baſilicam S. Ioannis, quæ præ nimiâ vetuſtate titubabat, à Domino Hugone Archipræſule repolitam; ab eoque 9 cal. octobris ſolemni pompâ dedicatam.* Ibidem meminit antiquioris dedicationis, vndecimo cal. Maij, ad vſque tempus Hugonis celebrari ſolitæ. Et infra, aliam recentiorem notabimus ab Eugenio tertio factam quintâ die Maij, anni 1148.

Supereſt, vt de tempore obitus Hugonis primi aliquid dicamus. Et de die quidem ſatis conſtat, ſic enim notatur in Necrologio S. Pauli: *VI cal. Auguſti obiit Hugo bonæ memoriæ, huius canonicæ Inſtitutor, multorum beneficiorum largitor, apud nos ſepultus in medio eccleſiæ.* & in codice S. Ioannis: *VI cal. Auguſti obiit Hugo primus Archiepiſcopus, qui dedit S. Stephano molendina de Terraignoz, & eccleſiam S. Ioannis Salinenſis.*

Illâ ipsa die, quæ S. Deſiderato ſacra eſt, celebratur

tur quotannis anniuerſarium Hugonis primi in eccleſiâ S. Pauli, ad quam conuenire ſolent Canonici S. Ioannis, S. Stephani, & S. Magdalenes; quibus Abbas olim dabat *prandium cum fabis*, ſanè ex conſuetudine ad veterem & prophanum ritum introductâ, & nunc meritò ſuppreſsâ; *Parentando enim fabas aſſumebant Antiqui, quòd in iis animas mortuorum eſſe putarent, & quòd in earum floribus litteræ lugubres reperiantur.* Plinius lib. 18, cap. 12. De anno verò eius obitus, quòd nullibi notatus inueniatur, paulò difficilius eſt certi aliquid ſtatuere: nos eum diximus eſſe, Chriſti milleſimum ſexageſimum ſeptimum, aut fortè proxi- 1066.
mè præcedentem 1066: ducti eâ ratione, quòd in di- 1067.
plomate archiui S. Pauli, quo Henricus IV Rex, donationes factas eccleſiæ S. Pauli confirmat anno Dominicæ Incarn. M. LXVII, Indict. IV; ordinationis autem Henrici quarti Regis XIV, Hugo ſecundus, adhuc *electus* nominatur, nondum ſcilicet confirmatus: eius verba ſunt: *Comperiat omnium ſolertia, qualiter fidelis noſter Hugo, Sanctæ Biſonticenſis Eccleſiæ Venerabilis electus Archiepiſcopus, eiuſdémque vrbis, S. Mariæ Genitricis Dei, & S. Pauli eccleſiæ Vvicardus Decanus, apud Spiram iuſſu & rogatu ſanctiſſimæ matris meæ Imperatricis Agnetis Auguſtæ, in præſentiâ Guilelmi Comitis Burgundionum, noſtrum adiere conſpectum, humiliter obſecrantes, vt auctoritate confirmaremus regali, quæ anteceſſor eius beatæ memoriæ Hugo Archiepiſcopus tradiderat eccleſiæ S. Mariæ miſericordiæ matris, & S. Pauli, &c.* Aut igitur anno præcedenti obierat Hugo primus, aut

1067. certè (quod vero ſimilius eſt) eodem ipſo anno 1067, 6 cal. aug. Auguſti.

Corpus eius ſepultum eſt eo tumulo, quem ſibi adhuc viuens & valens præparari iuſſerat: qui hodieque cernitur in mediâ naui S. Pauli, cum lapideo Præſulis decumbentis ſimulachro; circa quod hæc poſteà adſcripta ſunt carmina:

Lux Clero, populo dux, pax miſeris, via iuſto:
Fulſit, diſpoſuit, conſuluit, patuit:
Nonus trigenus Præſul Biſonticus Hugo:
Cùm reſtent Iulij quinque dies obiit.

Illuſtre hoc quidem elogium, ſi aliud nihil ſpectes: ſed ſanè frigidum, ſi ad hominis merita attendas. Solus nempè eſt tantæ virtutis æquus æſtimator, ac laudator Deus, qui vnus in conditis habet, quæ ei iuſta præmia decernat. Cæterùm, Hugonem trigeſimum nonum dicere, qui apud nos eſt quadrageſimus ſeptimus; hominis eſt, qui ex vno aliquo mutilo catalogo, non ex multorum monumentorum inſpectione, exactáve putatione temporum, numerum Archipræſulum Biſontinorum emendicarit. Nulli certè hactenus inſtituti catalogi, habent quinque illos, quos ante S. Nicetium repoſuimus, videlicet *Claudium primum, Vrbicum, Tetradium I, Syluestrum ſecundum,* & *Vitalem I:* à quibuſdam etiam abſunt omnes vel illegitimi, vel certè impij, vt monuimus in proloquio huius partis; nempè *Importunus, Germeſillus, Felix, Tetradius ſecundus, Ayminus, Gontherius,* & *Bertaldus:* quos omnes ſi è canone expungas, reliquos tantùm

tantùm facis quadraginta. At cùm in catalogis illius ætatis, qui in Hugone primo deſinunt, & adhuc ſuperſunt in variis Eccleſiarum libris, nunc vnus, nunc alius omiſſus ſit, exſcribentium inconſiderantiâ; facilè fuit, vt bonus poëta in vnum quempiam ex illis incideret, atque ita Hugonem, *triceſimum nonum* putaret.

Porrò ad pedes decumbentis Archiepiſcopi, habes expreſſos in lapide hos verſus:

Anno milleno tercentum ſeptuageno,
Adiunge primo, Pater Hugo reconditur imo,
Cùm ſuperet quina Iulij lux, en libitina.

Quæ epigrapha, quibuſdam occaſionem præbuit, cenſendi in Biſontinis Archipræſulibus, cuiuſdam *Hugonis ſeptimi*, inter *Aymonem*, & *Guillelmum tertium*; qui Hugo annum integrum in Archiepiſcopatu nõ expleuerit; ſed obierit anno 1371, 6 cal. Aug. ſepultúſque ſit propè Hugonem primum, qui eadem die ante annos ampliùs trecentos è viuis exceſſerat. Sed his verſibus aliud nihil ſignificari putamus, quàm anno 1371, Hugonis primi oſſa imo recondita fuiſſe; hoc eſt, cùm nauis Eccleſiæ S. Pauli reſtitueretur, eiúſque ſolum attolleretur iniectâ humo, ne adeò humida, & aquis (quippè flumini propinqua) adeò peruia eſſet; eductum tumulum Hugonis primi, ne obrueretur; ac deinde eodem loco, in mediâ ſcilicet naui (vbi nunc ad altarium ferè communem altitudinem eminens conſpicitur) repoſitum. Sanè recens eſt nauis ædificium, & ex eâ in chorum aliquot

quot gradibus deſcenditur; cùm alioquin è nauibus Eccleſiarum potiùs in choros aſcendi ſolitũ ſit.

In Eccleſiâ verò S. Magdalenes *Cor Hugonis* conditum eſt in choro ſuperiori (nam ea Eccleſia propè duplex eſt, duplici fornice, altera alteri magnâ ex parte ſuperſtructâ) ſub marmore nigro, quod tibi ſic exprimimus: In plano figurę quadratæ, inſcripti ſunt duobus quadratis circuli duo concentrici: & in medio quidem lapide inſculpta eſt Archiepiſcopi jacentis effigies; inter duas verò circulares lineas, hic verſus: *Hugonis primi cor ſepelitur ibi.* At inter duo quadrata, ad oras plani marmorei, hoc ſemideletum legitur: *Fratres orate pro* . . . . *Magñes primo Fundatore, perquem ſumus in honore.*

XLIX.

HVGO II.

HVGONIS ſecundi rogatu (quem anno
1067. 1067 adhuc *Electum* nominari vidimus)
Alexander II canonicam ſancti Pauli ab Hugone primo reſtitutam *ſub tutelâ Apoſtolicæ defenſionis* ſuſcepit, eiúſque priuilegia confirmauit; dato diplomate Laterani, Idibus Aprilis,
1069. anno Incarn. 1069, Pontif. 8, Indict. 7.

1072. Anno 1072, interfuit illi Æduenſi Synodo, in quâ S. Hugo Cluniacenſis Abbas Rotbertum Burgundiæ Ducem, mirâ libertate compeſcuit, atque ad melio

meliorem frugem reuocauit: de quâ ſic vita S. Hugonis Cluniacenſis, ab Hugone monacho Cluniac. eius æquali conſcripta, quæ refertur in bibliothecâ Cluniacenſi: *Dux Burgundiæ Rotbertus, Haganonem Æduorum Epiſcopum mirâ infeſtatione grauabat, variiſque prædonum incurſibus paſſim Burgundia laborabat. Eapropter Epiſcopi Gaufredus Lugdunenſis, Hugo Biſuntinenſis, Accardus Cabilonenſis, & Drogo Matiſcenſis Æduam conuenerunt; magnique Patrem conſilij, prædictum Hugonem Cluniacenſem Abbatem venire rogauerunt.* In eo cœtu, magnâ omnium admiratione, viſi dæmones humanâ ſpecie, Hugonis Abbatis imperio abſcedere: cùm ille Dei Omnipotentis nomine præcepiſſet, vt quotquot conueniſſent in eum locum, qui pacis non eſſent filij, ociùs recederent. Huius Synodi meminit ex occaſione Baronius, anno 1055: cùm tamen (vt monet Seuertius in Chronologiâ,) anno 1072 celebrata ſit. Ex quo emendes Andream Quercetanum in bibliothecâ Cluniacenſi, qui in notis ad eum locum Vitæ S. Hugonis, Hugonem Biſontinenſem, qui huic Concilio adfuit, eum ipſum eſſe dicit, qui S. Hugonem Abbatem conſecrarat anno 1049: qui enim S. Hugonem ordinauit, eſt *Hugo primus*, vt diximus; qui verò huic Auguſtodunenſi Conuentui adſtitit, eſt *Hugo ſecundus*. 1072.

In Canonicam S. Magdalenes contulit Hugo ſecundus eccleſiam *S. Germani de Dimidiâ*; vt patet ex inſtrumẽtis, Pontij 1101, Vuilelmi 1109, & Calixti ſecundi Pontificis 1120, Indict. 13. Eccleſiæ verò S. Pauli

(cui ineunte ſuo Præſulatu viſus erat fauere) plurimum poſteà damni intulit; vt cōſtat ex chartâ quadam S. Pauli, cui titulus: *Proclamatio Vvichardi Decani ad Papam, pro quâ ceſſauit Archiepiſcopus Hugo ſecundus ab officio tribus annis, donec ſatisfactione emendatum eſt commiſſum*: Longam texit querelam Vvichardus, de ſeruis eccleſiæ S.Pauli ab Hugonis ſecundi familiâ malè habitis, déque multis bonis, ac cenſibus eidem eccleſiæ ereptis. Et quamquam ibi nec vllus notetur annus, nec nominetur Pontifex, ad quem delatus eſt Hugo; tamen hæc facta credimus ſub Gregorio VII, à cuius Legato *Ugone Dienſi Epiſcopo*, ſuſpenſione Eccleſiaſticâ coërcitum conſtat Hugonem Archiepiſcopum Biſontinum: de quo ſic Gregor. VII, lib. 5 Regiſtri, epiſt.17, datâ Romæ, 7 idus
1078. Martij, Indict. primâ, anno Incarn.1078: quâ epiſtolâ declarat Pontifex, ſe cauſas diſcuſſiſſe Epiſcoporum Franciæ, & Burgundiæ, qui ab eius Legato Hugone Dienſi Epiſc. ſuſpenſi fuerant; *Vgoni quoque Biſuntino Archiepiſcopo*, inquit, *quia literæ, quibus inuitabatur ad Synodum, à Clericis ſuis retentæ, & non ſibi oſtenſæ fuerant, ſuſpenſo in eádem Synodo, Epiſcopale officium reddidimus; hac conditione, quòd debeat ſe de obiectis coram Legato noſtro, ſi ei viſum fuerit, cum Suffraganeis, aut conuicinis Epiſcopis expurgare.*

Superiùs monuimus, *Ternatium* Archiepiſcopum, qui eſt ordine vigeſimus ſeptimus, exſtruxiſſe in cápo Martio eccleſiam ſub nomine SS. Martyrum Petri, & Marcellini. Ei parochiali eccleſiæ longè ampliori

pliori factæ, Hugo ſecundus præcipuum à S. Vincentio nomen eſſe voluit: relicto exiguo in *SS. Petri & Marcellini* honorem dedicato ſacello. Adeò verò eam auxit, vt meritò in diplomate Humberti Archiepiſcopi dato ad annum 1140, *primus eius fundator* aſſeratur. Ad eccleſiam, ædes cœnobiticas adiecit, quas Benedictinis monachis attribuit; ſed morte præuentus, non potuit illis Abbatem præficere. Dicunt nonnulli eò deductos monachos, qui olim diuina officia perſoluebant in monaſterio *SS. Ferreoli & Ferrucij* extra ciuitatem: ſed hoc nullo antiqui cuiuſquã teſtimonio firmatũ vidimus: immò eam ſodalitatem, iam tempore Hugonis primi penè in nihilum redactam fuiſſe diximus, in Hugone primo, cùm de tranſlatione SS. Ferreoli, & Ferrucij.

Obiit Hugo ſecundus 4 cal. Octob. ex libris obituum S. Ioannis: & quidem anno ferè 1085, ſi, vt mox dicturi ſumus, annus 1092 eſt ſedis ſucceſſoris eius Hugonis tertij ſeptimus. In Necrologio S. Pauli hæc habes: *Quarto cal. Octob. obiit Hugo Archiepiſcopus, & monachus*: haud dubiè Hugo ſecundus, cuius obitus eâdem die notatur in libris S. Ioannis: ſed cur monachus? forſan monaſterij S. Pauli, idque ante Archiepiſcopatum: cùm eccleſiæ S. Pauli priuilegia, nondum confirmatus in Archiepiſcopum, ſed ſolùm *Electus*, apud Henricum quartum Regem (ad quem cum Vvichardo S. Pauli Decano Spiram adierat) renouari curauerit. Sepultus eſt autem in eccleſiâ S. Vincentij, quam exſtruxerat: quod non aliunde di- 1085.

dici, quàm ex veteri chartâ archiui S. Magdalenes, ſine datâ, quæ incipit: *Religioſâ, deuotâque inoleuit affe-ctione*, &c. in quâ dicitur, *tres ciues Biſontinos, Petrum de Caleſiâ cum duobus fratribus Dominico & Conſtantino, paulò poſtquàm defunctus eſt Hugo bonæ memoriæ Archiepiſcopus Salinis oriundus* (is eſt Hugo primus, qui S. Magdalenes Canonicam inſtituit) *videntes eccleſiam à ſuo tanto viduatam patrono, cœpiſſe inſurgere, & calumniari beneficium aliquod ſupradictæ eccleſiæ: eamque calumniã diu acerriméque contra eccleſiam iniuſtè agitaſſe, tempore Hugonis Archiepiſcopi, qui apud S. Vincentium iacet.* Hic certè alius eſſe non poteſt ab Hugone ſecundo: quẽ tamen nonnulli aliquando opinati ſunt ſepultum eſſe in Prioratu *Curtifontis*, diœceſis Biſontinæ: in cuius Capitulo exſtat tumulus perhumilis, ſic inſcriptus:

Sobrius & mundus Hugo fuit iſte ſecundus:
Cælica regna Dei gratia donet ei.

Sed aut eſſe putamus *Prioris* alicuius, vel *Abbatis* epitaphium: aut fortè etiam illud *ſecundus*, non ordinem alicuius dignitatis, vel officij, ſed familiam denotat.

L.

HVGO III.

HVGONEM tertium clariſſimâ Dominorum Salinenſium familiâ natum, antiqui codices teſtan

teſtantur: patrémque illi fuiſſe puto *Guillelmum* Comitem Burgundiæ, & Salinenſem, de quo ſic liber obituum S. Ioannis: *Secundo Idus Nouembris, obiit Vilelmus Comes Burgundiæ, pater Hugonis Archiepiſcopi.* Quin & hunc ipſum Guillelmum Comitem eſſe exiſtimo, quem paſſim in antiquis inſtrumentis *Conſulem* dictum reperias; vt in chartis Pontij Archiepiſcopi 1101, & Guilelmi Archiepiſcopi 1109, quæ in archiuo S. Magdalenes: in quibus habes hæc verba, de causâ quadam definitâ: *quod probatum eſt iureiurando, atque iudicio, in conſpectu Guillermi Conſulis, patris Archipræſulis Hugonis.* In alio verò inſtrumento eiuſdem chartularij, ſine datâ, cuius prima verba ſunt; *Religioſâ, deuotâque inoleuit affectione, &c.* refertur tranſactio quædam facta pro eccleſiâ S. Magdalenes, *laudante & confirmante Archiepiſcopo Hugone Guilelmi Comitis filio*: in cuius quoque Archipræſulis conſpectu, calumnia quædam feruentis aquæ iudicio eneruata dicitur. Vides, eumdem Guilelmum Hugonis tertij patrem, modò *Comitem* dici, modò *Conſulem.*

Contulit Hugo tertius eccleſiæ S. Magdalenes, & Canonicis ibidem Deo famulantibus, *altare de Boiſſeres, iuxta Caſtrum Abes, & aliud altare apud Sayens, iuxta caſtellum Dolam,* dato diplomate ad ſextum idus Apriles, anno Incarn. 1092, Indict. 15, regnante tertio 1092.
Henrico, Roman. Inuictiſſimo Imperatore Auguſto, anno ſeptimo ſedis Domni tertij Hugonis Chryſopolitani Archiepiſcopi. Et in chartis confirmationum Pontij 1101, Guilelmi 1109, & Calixti

ſecundi Pontif.1120, notantur tria altaria,ſeu tres eccleſiæ Canonicis S. Magdalenes ab Hugone tertio conceſſæ, nempe *eccleſia S. Petri de Boſſeris,S.Germani de Haens, & Sancti Martini de Saens, cum omnibus appendiciis.*

1092. Eodem verò anno 1092, Indict. 15, quinto cal. nouembris, conſtituit primum Abbatem *Achardum*,in monaſterio S. Vincentij,vt conſtat ex diplomate, è quo hùc aliquid transferimus.

Ego tertius Hugò Biſontinæ Sedis indignus Archiepiſcopus, in eccleſiâ Sacratiſſimi Martyris Vincentij, quæ infra vrbem eamdem habetur, Achardum venerabilis vitæ virum primum Abbatem conſtituo; benigniſſimâ illud adimplens affectione, ad quod anteceſſor meus bonæ memoriæ ſecundus Hugo Archiepiſcopus omni aſpirauerat ſtudio. Cùm enim poſt ipſius ædificationem eccleſiæ, monachos in eâ conſtituiſſet, morte præuentus adimplere non potuit, vt eis Abbatem ſuperpoſuiſſet:multa deinde enumerat bona,quę S. Vincentij monaſterio confert : Abbati verò hæc ſub finem priuilegia impertit; *Et quia præfata eccleſia, matri viciniùs adhæret; ipſius honorem, & dignitatem in eccleſiâ S. Ioannis Euangeliſtæ, & B. Protomartyris Stephani ſpecialiter aſſumentes; ſuam ſuorùmque ſucceſſorum perſonas, inter Canonicos S. Ioannis, dignitate, & numero eſſe cenſemus, atque concedimus. Præterea auctoritate Apoſtolicâ, & Pontificali prohibemus & interdicimus, ne præfata S. Vincentij Biſontini eccleſia, ab Abbatiæ dignitate in Prioratum, vel alterius eccleſiæ ſubiectionem cadat; ſed Biſontino tantùm Pontifici,ab aliis libera,ſubiaceat: eiuſque eccleſiæ*

eccleſiæ Abbas S. Vincentij, in Synodo, & aliis, quæ ad officium noſtrum pertinent, in eccleſiâ Biſontinenſi S. Ioannis Euang. & Protomartyris Stephani, Vicarius noſter exiſtat; & immediatè, præ omnibus aliis Abbatibus, poſt Biſontinum Pontificem, primum locum obtineat, &c. *Vnde igitur ego Hugo Dei gratiâ poteſtatem ſoluendi & ligandi habens, gladio Pontificali interdico, ne ego, nec quilibet mihi ſuccedens, manum mittere ad hoc infringendum, vel impugnandum audeat donum. Si verò aliqua perſona, diabolicâ inſtigatione præuenta, hoc deſtruere, vel abolere voluerit, cum Daciano eiuſque complicibus perpetuo torqueatur incendio. Vt autem hæc donatio, in futurum firmior exiſtat, manu propriâ firmaui, & ſigilli mei impreſſione ſignaui, & inferiùs noſtro deuotiſſimo Clero deſcripto corroborandum contuli. S. Magnerij Decani S. Ioannis, S. Hugonis Decani S. Stephani, S. Gerardi Decani S. Pauli, S. Manegaldi Decani S. Mariæ Magdalenes, S. Guilenchi Archidiaconi, S. Bernardi Magiſtri, S. Stephani Cantoris. Acta quinto Cal. Nouemb. anno quarto Ordinationis Domni tertij Hugonis Chryſopolitani Archiepiſcopi, regnante Henrico tertio Romanorum Imperatore Auguſto, anno ab Incarn. Domini milleſimo nonageſimo* 1092. *ſecundo, Indict. XV.*

Mirum fortaſſe cuipiam videatur, annum quartum Ordinationis Hugonis tertij, iungi anno Chriſti 1092, Indict. 15; cùm in citato B. Magdalenes diplomate, idem annus 1092, eadémque Indictio 15, iungatur anno ſeptimo Sedis Hugonis tertij: ſed nihil vetat, eumdem annum fuiſſe *Ordinationis* quartum, qui fuit *Sedis* ſeptimus: fortè enim Hugo tertius

tius iunior erat, cùm electus eſt in Archiepiſcopum, quàm vt Epiſcopali charactere ſignari poſſet.

Quia verò primi Abbatis S. Vincentij inſtitutionem dedimus, placet ſucceſſorum quoque ipſius nomina hîc deſcribere.

Series Abbatum Monaſterij S.Vincentij Biſontini, Ordinis S. Benedicti.

1 *Achardus*, primus Abbas ab anno 1092: qui fortè ille eſt, de quo ſic Lignum Vitæ Arnoldi Vvionis, in adiunctis ad finem: *B. Arcandus, Gallus, primus Abbas monaſterij SS. Ferreoli & Ferrucij, extra ciuitatem Biſuntinenſem, quod nunc eſt intrà ciuitatem ſub nomine S.Vincentij, multis miraculis fertur ſuo tempore claruiſſe.* nam & in vetuſtis chartis, *Archadius*, & *Archandus* dictus legitur.

2 *Petrus* Abbas, ex chartis 1140, 1146.

3 *Vvichardus*, 1177. 1178, 1185, 1189.

4 *Hugo*, 1197, 1198, ex chartis Bellæuallenſibus.

5 *Anſelmus*, 1213.

6 *Anſerinus*, 1228, 1229, 1235, 1238.

7 *Hugo de Mommerio*, fecit clauſuram domus, & vineæ S.Vincentij, ex chartâ 1239.

8 *Vvirricus*, 1243.

9 *Hugo*, 1250, 1253.

10 *Ioannes*, 1268, 1273, 1278.

11 *Gulielmus de Ruffeyo*, 1303, 1304, 1306.

12 *Gulielmus de Quingeyo*, 1339, 1340, 1348.

13 *Aymo à Baumâ*, 1350, 1351.

14 *Guliel*

14 *Guilelmus de Biſontio*, dictus *Chinus*, 1358: dedit baculum paſtoralem argenteum.

15 *Gerardus de Albaſpinâ*, 1363, 1364.

16 *Petrus Beraldus*, 1371.

17 *Hugo d'Oyſelet*, 1383.

18 *Hugo de Mõte auiũ*, vulgò *de Mõt-Oyſeau*, 1400, 1405.

19 *Guilelmus de Leugney*, 1412.

20 *Petrus Armenie*: caſtrum *Villerpater* dirutum reſtaurauit anno 1435.

21 *Ioannes Renedalle*, 1453: exſtruxit Clauſtrum teſtudineum S. Vincentij: obiit 1490.

22 *Petrus de Montfort*, cœpit præeſſe anno 1492: ædes Abbatiales erexit: obiit 1501.

23 *Hugo d'Augicourt*: obiit 1517, fuítque vltimus Abbas per monachorum electionem.

24 *Antonius de Montecuto*, fuit primus Abbas Commendatarius ab anno 1521: exſtruxit præcelſam turrim campanariam: obiit 1532.

25 *Franciſcus Bonuallot*, qui & Abbas Luxouienſis, & Adminiſtrator Archiepiſcopatus Biſontini ſub Claudio à Baumâ: obiit 1560.

26 *Antonius Perrenotus*, Archiepiſcopus Biſontinus, dictus Cardinalis Granuellanus: obiit 1586.

27 *Ludouicus Madrucius*, Ciuis & Epiſcopus Tridentinus, Cardinalis creatus à Pio IV, anno 1561: obiit 1600: Romæ ſepultus in eccleſiâ S. Onuphrij. *Vide Ciaconium.*

28 *Petrus de Toledo.*

29 *Stephanus Pierrardus*, anteà Abbas *Gratiæ-Dei*: auxit

ædes Abbatiales: obiit 1608.

30 *Guilelmus Simonin*, monachus primùm S.Vincentij Profeſſus, indè Cantor, Sacriſta, Prior; tum Vicarius Abbatis in ſpiritualibus & tẽporalibus; poſteà Archiepiſcopi Biſontini Suffraganeus, & Archiepiſcopus Corinthienſis; vltimò Abbas ſui monaſterij. Is tertio nonas Octobris, anni 1611, auctoritate Sanctæ Sedis Apoſtolicæ reformauit monachos ſuos ad regulam *SS. Vithoni, & Hidulphi*, ad inſtar Congregationis *S. Benedicti de Monte Caſſino*, aliàs *S. Iuſtinæ de Paduâ*; & conſtituit definitum numerum monachorum tredecim: nunc ſupereſt cùm hæc edimus, anno 1618.

Hæc de Abbatibus S.Vincentij. De Hugone tertio hoc prætereà habemus, quòd contulerit eccleſiæ S. Pauli *altare de Roſario*, (ex diplomate ſine datâ) *Odonis S.Pauli Decani, fratrúmque cum eo militantium acquieſcens petitioni*. Conſecrauit inſuper eccleſiam Prioratus *Martyrum*, non longè à Veſulio, per Gil-
1092. bertum Vicecomitem Veſulanum anno 1092 fundati: *ex Goluſio lib.*11, *cap.*13.

Eo verò ſedente, Otho quidam *Miles*, bona nonnulla à Maioribus ſuis iniquè detenta, eccleſiæ Biſontinæ reſtituit: quâ de re vt conſtaret poſteris, publicum eo nomine inſtrumentum (quod habetur in archæo Capituli) cõfecit Hugo tertius, *6 Idus Septemb. Indict.* 8, *anno* 13 *Hugonis III Chryſop. Archiep. regnãte Imp.*
1100. *Henrico III*: is eſt annus Chriſti 1100, vt ex Indictione colligitur; eodẽq; anno, (quẽ prætergredi nõ potuit, cùm

cùm annus 1102, ſit Pontij primus, ante quem adhuc ſedit Hugo quartus) ſexto poſt die obiiſſe exiſtimo tertium Hugonem: ſic enim habet Necrologium S. Pauli; *Idibus Septemb. obiit Hugo tertius Chryſopolitanus Archiepiſcopus:* at in libro S. Ioannis notatur eius obitus die ſequenti, nempe 18 cal. Octobris:& frequenter variant vno aut altero die, eccleſiarum codices in notandis obitibus: nos priorem diem, quod tutius ac vero ſimilius eſt, ſemper accipimus.

L I.

HVGO IV.

HVGO quartus (qui tertium proximè ſequutus eſt) obiit in peregrinatione Hieroſolymitanâ, vt conſtat certiſſimis monumentis, & maximè inſtrumento quodam S. Pauli, dato ad annum 1133. Credibile eſt autem, eum cum Stephano Burgundiæ Comite Hieroſolymam iter aggreſſum (non autem cum Friderico Duce Sueuiæ, vt malè Goluſius; qui & Hugoni IV nō bene applicat verſus Florentini monachi, de Theodorico ſecundo accipiendos, vt ſuo loco monebimus:) refert enim Guilelmus Tyrius, belli ſacri lib. 10, cap. 12, *Stephanum Burgundiæ Comitem, virum inclitum, & multâ nobilitate inſignem,* cum aliis quibuſdam Occidentis Principibus, magno cum apparatu

bellico, ad Godefridum, alioſque in eâ expeditione deſudantes iter arripuiſſe. Deinde cap. 20, commiſſo prælio apud Ioppen, noſtros inter, & Aſcalonitas atque Ægyptios, *ceciderunt*, inquit, *in eâ acie vterque Comes Stephanus* (nempe Stephanus Burgundiæ, & alter Stephanus Carnotenſium & Bleſenſium Comes) *& alij Nobiles, quorum numerum, vel nomina non tenemus.* Cum his Hugonem quartum obiiſſe facile ſuſpicer; cùm hæc contigerint (vt ex Tyrio colligere
1101. eſt) circa annum 1100, aut 1101.

Contulit Hugo quartus aliqua beneficia in eccleſiam S. Vincentij Biſont. (vt conſtat ex chartâ Humberti Archiepiſcopi datâ anno 1140:) eius verò obitus, in Necrologio S. Ioãnis notatur 16 cal. Febr. & contigiſſe exiſtimo anno 1101, indict. nonâ: vnde tres tantùm menſes ſederit; nempe à Septembri anni 1100, quo obiit Hugo tertius, vſque ad 16 cal. Feb. anni 1101: neque enim perueniſſe potuit ad annum 1102, indict. 10; cuius anni exordio, nimirum 3 Idus Ianuarij, primum ſui Præſulatus annum iam agebat Pontius.

LII.

PONTIVS.

CONFIRMAVIT Pontius donationes eccleſiæ S. Magdalenes, factas per Hugones ſecundum & tertium deceſſores ſuos: eiſque inſuper

ſuper contulit altare ſeu eccleſiam S.Andreæ *de Che-neuey*, dato diplomate, 3 Idus Ianuar. M. C. II, Indict. 1102.
X. Idem anno 1107, Valcluſenſem eccleſiam con- 1107.
ceſſit Cluniacenſi monaſterio, data eam ob rem apud Biſontinam chartâ, quæ refertur in Biblioth. Cluniacenſi, vbi de rebus tempore S. Hugonis geſtis: ſed mendosè *Petrus* ſcribitur pro *Pontio*. Eam Pontij donationem, aliáſque multas confirmat Paſchalis II, dato inſtrumento Indict. 15, anno 1107, (non autem 1106, vt leges in bibl. Cluniac.) in quo habes hæc verba: *In Biſuntino Epiſcopatu, monaſterium Vallis-cluſæ, quod profectò Romani iuris, per Pontium Epiſcopum noſtro vobis fauore conceſſum eſt.*

LIII.

GVILELMVS I.

VVILERMVS, ſeu Guilelmus, ex antiquâ & nobili apud Biſontinos familiâ Dominorum *de Turre*; filius fuit *Odonis de Turre*, cuius obitum ſic notatum legimus in Necrologiis S. Ioãnis & S. Stephani: *VII Idus Nouemb. obiit Odo de Turre, Miles*(hoc eſt Nobilis)*pater Vvilermi Archiepiſcopi Biſontini: qui dedit S. Stephano* 30 *ſolidos cenſuales, ſuper homines ſuos de Palliſe: pro quo idem Vvilermus dedit S.Stephano* 10 *libras, &c.*

Nonnullas eccleſiæ S. Magdalenes factas dona-

 tiones

tiones, ratas habuit: & altaria, ſeu eccleſias, S. Petri *de Mernay*, & S. Pauli *de Courchapon*, de nouo eidem contulit, dato inſtrumento, 13 cal. Mart. anno In
1109. carn. 1109, Pontificatus ſui primo. Ad hæc, *Pontio Cluniacenſi Abbati* (qui præfuit ab anno 1109 ad 1122) *inhabitandam dedit à ſuæ Congregationis fratribus, & in religione Monaſtici Ordinis Deo auctore vigilantius informandam, Altepetrenſem eccleſiam, religione quondam monaſticâ deſtitutam;* diplomate, quod refertur in bibl. Cluniac. non adſcripto anno.

Sedente porrò hoc Gulielmo orta eſt contentio inter Canonicos S. Ioannis, & S. Stephani (quæ diu exinde perdurauit) de maternitate ſuarum eccleſiarum: & primùm quidem coram Guilelmo Archiepiſcopo acta cauſa eſt, tum ad Paſchalem II Pontificem delata; qui rei cognitionem, & poteſtatem ferendæ ſententiæ commiſit Viennenſi Archiepiſcopo Guidoni (quem poſteà ſucceſſorem habuit, dictum Calixtum II.) Is plurimum cepit in eâ cauſa laboris, ac Synodum tandem, ex ſpeciali Pontificis mandato, pro ſolutione controuerſiæ indixit apud Trenortium (Gallicè *Tornus* ad Ararim:) cui Synodo interfuêre, *præſidente Guidone Apoſtolico Legato, G. Lugdunenſis Archiepiſcopus; Epiſcopi H. Gratianopolitanus, L. Viuarienſis, B. Matiſconenſis, S T. Eduenſis, G. Cabilonenſis, G. Lingonenſis, P. Bellicenſis, G. Gebennenſis, & P. Abbas Cluniacenſis, cum aliis ſeptemdecim Abbatibus, & aliis plurimis viris religioſis, propter hanc cauſam apud Trenortium conuocatis. Ibi ex Patrum iudicio definitum eſt, eccleſiam*

cleſiam B. Ioannis debere maternitatis prærogatiuam in perpetuum obtinere: & ipſe Legatus, eccleſiam S. Ioannis extūc à querelâ illâ liberam fore decreuit; conſtituens Epiſcopalem Sedem in eâ irrefragabiliter permanere: auctoritate inſuper Apoſtolicâ, quâ fungebatur, ſub anathematis obligatione præcipiens, vt nullus eam vlteriùs Clericus ſeu laicus inde inquietare, aut inquietandi fauorem præſumeret miniſtrare. Hæc ad verbum ex vetuſto codice S. Ioannis.

Illi verò ſingulari charactere deſignati, ſunt *Gaucerannus* Lugdunenſis Archiep. Epiſcopi, *S. Hugo* Gratianopolitanus, *Leodegarius* Viuariẽſis, *Berardus* Matiſconenſis, *Stephanus* Æducẽſis, *Gotſaldus* Cabilonenſis, *Gaucerannus* Lingonenſis, *Pontius* Bellicenſis, *Guido* Gebennenſis, & *Pontius* Abbas Cluniacenſis.

Monaſterio S. Vincentij aliqua fuiſſe à Gulielmo collata beneficia, fidem facit charta vetus Humberti Archiepiſcopi data anno 1140, in quâ hæc habes: *Reliqua verò beneficia, quæcunque illa fuerint, quæ à prædeceſſoribus noſtris bonæ memoriæ Archiepiſcopis, Hugone ſecundo, qui primus eccleſiam fundauit; Hugone tertio, qui primum in eâ Abbatem ordinauit; Hugone quarto; Gulielmo tempore ſui Epiſcopatus; Anſerico viro Reuerendiſſimo, eidem cœnobio collata, atque conceſſa ſunt, vel à Comitibus, vel Principibus,* &c. *concedimus & confirmamus.* Quibus verbis (*tempore ſui Epiſcopatus*) ſubindicat Humbertus, Gulielmum aliò tranſiiſſe, nec diem clauſiſſe in Archiepiſcopatu Biſont. Quicquid tandem illo factum ſit, præfuit annis nouem, nempe ab anno 1109, ad 1118, qui fuit Anſerici primus.

LIV. *An*

LIV.

ANSERICUS.

ANSERICVS (quem ab Humberto ſucceſſore ſuo *virum Reuerendiſſimum* appellatum iamiam monui) regere cœpit an-
1118. no 1118: & anno 1120, Indict. 13, Pontifica-
1120. tus ſui tertio, 3 Idus Iunij, definiuit controuerſiam ortam inter Canonicos Biſontinos S. Magdalenes, & Balmenſes monachos, *de eccleſiâ videlicet de Dola, quam Canonici infra terminos ſuæ parochiæ, ſeu eccleſiæ de Aſans, querebantur ædificatam, & ob hoc conſecrari vetabant.* Quæ cauſa ita demum concluſa eſt; vt Præſentatio Dolanæ eccleſiæ, ſimul ad Balmenſem Abbatem, & ad S. Mariæ Magdalenes Capitulum pertineret. *Chartul. Magdal.*

1123. Anno 1123, die octauarum Aſſumptionis, Anſericus *Petrum* cognomento *Mauritij*, dictum *Venerabilem*, Cluniacenſis familiæ magnum lumen, Abbatem conſecrauit: ex biblioth. Cluniac. in Chronologiâ Abbatum, vbi *Anſierius* perperam ſcribitur pro *Anſerico*.

1134. Obiit 12 cal. Maij, ex Necrol. S. Ioannis: & quidem anno 1134, qui fuit ipſius ſucceſſoris Humberti primus; cùm adhuc Anſericus dederit Capitulo Sanctæ Magdalenes, eccleſias *de Goux*, & *de Puſiz*, eodem

dem anno Incarn. 1134, Indict. 12; *ex chartulario Sanctæ Magdal.* eodémque anno inter S. Ioannis, & S. Stephani eccleſias quamdam concordiam fecerit; *ex archiuo Capituli.*

L V.

HVMBERTVS.

HVMBERTVS in defuncti locum ſuffectus eſt anno 1134 (quod conſtat ex diplomate, 1134.
quo S. Vincentij Abbatiæ, multa confirmauit, & de nouo contulit beneficia, 6 cal. Nouemb. anno Incarn. 1140, ordinationis ſuæ ſeptimo.) Pro eo ſcripſit ad Eugenium Papam Petrus Venerabilis epiſtolam 25, lib. 4, quæ ſic habet: *Ex multâ dilectionis fiduciâ, quam ſemper habere conſueuimus ad Apoſtolicam Sedem, ſoliti ſunt plerique amicorum noſtrorum ad nos recurrere, & preces ſuas Apoſtolicæ manſuetudini nobis mediantibus offerre. Vnde hoc, tam antiquo vſu, quàm iam expertâ erga nos in expulſione fratrum noſtrorum de ſancto Sabâ Paſtorali dilectione, ac ſtudio veſtro, quos eiectos ſuſcepiſtis, deſolatos aluiſtis, verberatos conſouiſtis; confidenter Reuerentiam paternam adimus, & pro Domino Biſuntino Archiepiſcopo, bono Cluniacenſis Eccleſiæ amico, magnitudinem veſtram oramus:* (meritò *amicum* dicit, cùm bonorum quorumdam in Cluniacenſem eccleſiam collationes ab Humberto factas, ratas habuerit Fri-

dericus Imp. diplomate Vvormatiæ dato, 3 Idus Iunij, anno 1153, Indict. 1, regni ſui anno 2. *bibl. Clun.*) *Accuſatur enim, vt nobis relatum eſt, à paucis & vilibus Eccleſiæ ſuæ perſonis: excuſatur & commendatur à pluribus & fide dignis viris, & maximè, arctioris religionis, & ordinis Profeſſoribus: qui, vt bene credimus, nullas pro eo preces funderent, in nullo pro ipſo ſupplicarent, ſi eiſdem precibus ſuis, vel commendationi, iuſtitiam in aliquo obuiare ſentirent,* &c.

1135. Anno 1135, Indict. 14, conceſſit Humbertus Canonicis S. Mariæ Magdal. eccleſias *de Tromarè*, & *de Brucè*; *ex diplom.*

1145. Decennio poſt, nempe anno 1145, 5 cal. Maij, donauit Pontio Abbati Bellæuallis, eccleſiam *Camborniacenſem*, diplomate dato *Iunciuillæ*: teſtibus *Gotefrido* Lingonenſi Epiſcopo, *Guidone* Chariloci, & *Lamberto* Clarifontis Abbatibus. *ex chartulario Bellæuallenſi.*

1147. Contigit autem ſedente Humberto, vt anno 1147, Eugenius tertius vitans Romanorum Arnaldiſtarum perſecutionem, in Gallias ſe conferret more maiorum, & viſitatâ Claraualle, ac Ciſtertio (vbi mira quædam eo præſente contigerunt, de quibus Bernardus Abbas Bonæuallis, in Vitâ S. Bernardi lib. 4, cap. 4.) Veſontionem denique veniret, anno
1148. 1148. Ibi tertio Nonas Maij idem Eugenius altare maius S. Ioannis Euangeliſtæ conſecrauit, & baſilicam ſolemni ritu dedicauit, in honorem Dominicæ Reſurrectionis, & Sanctiſſimæ Dei Genitricis Mariæ,

Mariæ, & B. Ioannis Apoſtoli ac Euangeliſtæ, & Sanctorum Martyrum Stephani, Vincentij, Ferreoli, & Ferrucij: adſiſtentibus & cooperantibus Archiepiſcopis *Humberto Biſontino, Balduino Cæſarienſi, Henrico Eboracenſi*: Epiſcopis autem *Hymaro Tuſculano Cardinali, Hugone Altiſſiodorenſi, Arnaldo Auſtrorienſi, Nauarrone Cantienſi, Chryſandino Mantuano*. ex Martyrologio S. Ioannis.

Adhæſit verò pluſquàm par erat, ſchiſmatico Imperatori Friderico Ahenobarbo Humbertus noſter: nam & anno 1160 conſenſit per Legatum conciliabulo Papienſi aduerſùs Romanum Pontificem, 1160.
(*Baron. eodem anno*;) & in Friderici comitatu ferè perpetuò fuit; vt conſtat ex plurimis Friderici diplomatis, à quibus vix vnquam abeſt Humbertus Archiepiſcopus Biſontinus: Et vnum quidem habes Arboſij datum anno 1157, in bibl. Cluniacenſi: alia in Bibliothecâ Floriacenſi, & variis archiuis: habe ſubſcriptionem vnius, Erbipoli dati, ex Chartulario Bellæuallis. Confirmat Fridericus Imp. donationes factas Abbatiæ Bellæuallis à *Raynaldo* Comite Burgundiæ; & ſic demum ſubſcribitur: *Actum ſolemniter Herbipoli, Anno ab Incarn. Domini* 1156, *Indict.* 4, *Epact.* 1156.
26. *Teſtes ſunt Killinus Treuerenſis Epiſcopus, Henricus Dux Saxoniæ, Matthæus Dux Lotharingiæ, Stephanus Comes Burgundiæ, Theodericus Comes Montiſbelicardi, Humbertus Biſuntinus Archiepiſcopus, Otho Friſienſis Epiſcopus, Orclibus Baſilienſis Epiſcopus.*

Anno 1160, Humbertus Landericum *de Durnac* 1160.

Decanum S. Ioannis Biſont. in *Lauſanenſem* Epiſcopum Veſontione conſecrauit, coram *Arducio* Gebennenſi, & *Vuilelmo* Bellicenſi Epiſcopis, ac permultis Abbatibus: ex chartâ *Gerardi* I Archiepiſcopi, *de diuiſione bonorum S. Magdalenes*; vbi deſcribitur ac renouatur ſententia Humberti, lata in eâdem causâ, adſtantibus prædictis Epiſcopis atque Abba-
1160. tibus, anno 1160, ſtatim à conſecratione Epiſcopi Lauſanenſis *Landerici*.

Obiit non multò poſt Humbertus, calendis Octobris, ex Necrologio S. Pauli, quod habet; *cal. Octob. obiit* Humbertus *Archiepiſcopus, Canonicus noſter, hîc ſepultus*: obiiſſe autem vero ſimile eſt anno 1161; cùm ad-
1161. huc eum vixiſſe conſtet anno 1160; & ſucceſſoris eius Vvaltheri nondum confirmati certa extet mentio, anno 1162.

L V I.

VVALTERIVS II.

VVALTERVS, quibuſdam *Vautherius*, & *Gaultherius*, in omnibus catalogis Humbertum proximè ſequitur. Eum certè (ſi tamen vnquam in Archiepiſcopatu confirmatus fuit) breuiſſimo tempore ſediſſe neceſſe eſt; cùm *Herberti* qui poſt eum intruſus eſt, iam extent diplomata anni 1163. Huius porrò Vvaltheri, habe-

tur

tur charta quædam in archiuo Bellæuallis, *de terminatione querelæ quarumdam decimationum aduerſùs Bellæuallenſem eccleſiam*, datâ Biſuntij, anno Incarn. Dominicæ 1162, quæ ſic incipit: *Ego Gautherius Dei gratiâ Biſuntinus Electus*, &c. 1162.

Herbertus.

HVNC plerique prætereunt (& rectè quidem ſi legitimos ſolùm Præſules enumerát:) alij cum Humberto confundunt; ſed immeritò, cùm alterum ab altero medius *Valtherus* diſterminet. Herbertum intruſit Fridericus Ahenobarbus non ante annum 1162: at Humbertum iam inde ab anno 1134, ſediſſe vidimus, viginti ante Friderici Imperium annis: ſed clariùs vtrumque diſtinguit Guilelmus II Archiepiſcopus Biſont. dato diplomate pro monaſterio S. Vincentij, anno 1252; quod deſcribit & confirmat alio inſtrumento, ſequenti anno 1253 confecto, *Hugo* tt. S.Sabinæ preſb.Cardinalis, Apoſtolicæ Sedis Legatus: quo diplomate teſtatur Guilelmus, quæ priuilegia Victor IV, Pont. Maximus Abbati S. Vincentij, Humberti Archiepiſcopi rogatu conceſſerat, eadem *fuiſſe poſtpoſita, & per longum tempus manſiſſe incognita, propter inhibitionem quondam Herberti ſchiſmatici, qui tanquam Apoſtata, pro Archiepiſcopo Biſuntino, de facto, non de iure ſe gerebat.* Inter epiſtolas Stephani Tornacenſis Epiſcopi centeſima octaua ſcripta eſt ad Papam, pro quodam *Odone Clerico, qui in puerili ætate* (inquit) *ab Herberto Biſuntino ſchiſmatico gradum Aco-*

lyti qualitercumque ſuſceperat, cùm priùs à Catholico Clericus factus fuiſſet; neſciens miſer quantum veneni peſtis illa infunderet; quantum periculi manus illa leproſa ſibi vel ad præſens, vel in poſterum importaret. Aperiatur, addit, *ſuper eum, obſecro, paternus Apoſtolicæ pietatis oculus, maternus Eccleſiæ Romanæ ſinus expandatur, vt qui in ſuſcipiendis ordinibus minoribus deliquit, ad maiores valeat humiliter promoueri.*

Dedit hic Herbertus eccleſiæ S. Ioannis, Crucem ex auro puriſſimo apprimè elaboratam; in cuius centro incluſæ hodiéque conſpiciuntur ſalutiferi ligni particulæ in crucis formam diſpoſitæ. Atque vtinã aliquid de Crucis viuificæ amore ſibi ipſe ſeruaſſet, homo cætera impius, & ad Eccleſiæ perniciem natus. Sęuiebat Imp. ſchiſmaticus Fridericus, in eos, qui ab Alexandri III Pontificis partibus ſtabant; atque (vt in homine id conditionis, ſíqua eſt, ea potens eſſe ſolet, ac robuſta impietas) Chriſtianum Orbem propè vniuerſum, quà ad ſe pertrahendis qui minùs haberent fidei, quà multandis qui Alexandro adhærerent, ſchiſmate ſuo compleuerat. Cúmque eò proceſſiſſet amentiæ, vt eorum qui ſecum ſentire nollent, parceret nemini; in eius tamen animo ſuperabat (futuræ pœnitentiæ ſemen) ſingularis quidam cultus B. Petri Tarentaſij Epiſcopi, qui cùm ſe murum pro domo Dei opponeret, & Fridericum eiúſque aſſeclas, à vero Eccleſiæ Capite diuiſos, atque à fidelium communione extorres palàm prædicaret, non deerant ſtygio inflati ſpiritu, furoris Imperato-

peratorij ſolles, qui ad voluptatem atque aſſentationem loquerentur omnia, nihil ad veritatem: quíque Imperatori obiicerent, mirari ſe, quòd vnum illum homuncionem, qui tantâ in eum declamaret audaciâ, non modò non perderet, ſed eâ reuerentiâ proſequeretur, quâ alium neminem: *Cui ſuggeſtioni* (verba ſunt Gaufridi Abbatis Altætumbæ, qui æuo illo ſcripſit, in Vitâ S. Petri Tarentaſ. cap. 24; apud Surium tomo 3, 8 Maij) *Herbertus quidam Chryſopolitanæ incubator Eccleſiæ, præ cæteris inſiſtebat:* qui cùm id Imperatori aduersùs Petrum conſilij daret, hoc ab illo reſponſum extorſiſſe fertur; *ſi hominibus, vt merentur, contrarium me exhibeo, túne velis, vt euidenter opponere me incipiam Deo?* Sed accipe quæ de Herberto ſubdit idem auctor, cap. 25.

Extat in diœceſi Chryſopolitanâ cœnobium, quod Bethania nominatur. Illò venturum Tarentaſium Archiepiſcopum Herbertus audiens, præmiſit, nuntians eâdem die ſeſe venturum. Expauit Abbas, & cum multâ anxietate in occurſum properans viri ſancti, ignorare ſeſe quid ageret cauſabatur: cui ille, angulus, ait, nobis quantuluſcumque ſufficiet; ne turberis. Verumtamen diuina pro eo vltio militauit, & ægritudine occupatus apoſtata, quod diſpoſuerat non impleuit. Exinde vir Beatus ad Imperatorem acceſſit in ciuitate Chryſopoli conſtitutum; vbi etiam ab oppreſſione Catholicorum, maximè Religioſorum, quantùm potuit, eius animum reuocauit, Regis iram rugitui ſimilem leonino, monitis ſimul & interceſſione compeſcens. Conuenit autem ſolitâ deuotione Populus Ciuitatis ad eum, & innumera etiam vulgò Bithaniu.

de vicinis locis vndique multitudo confluxit: quibus inter cætera de prædicto hæretico.(Herberto *) verbum faciens, nec ipſius maliciam veritus, nec præſentiam Imperatoris per quem erat intruſus, orationem omnibus indixit generaliter, vt manus Domini accelera ret ab illius tyrannide Eccleſiam liberare, vel mutando hominem, vel mulctando; vt conuerteretur ad pœnitentiam, aut de medio tolleretur. Oratum eſt; & infra quatuor vel quinque dies, miſeram idem ſchiſmaticus animam exhalauit. Accidit tamen, vt intereà viſitatus à R. Bellæuallenſi Abbate, ad primum gratulari videretur aduentum: conuentus autem de confeſſione peccatorum, & admonitus de pœnitentiâ, pugillum ſtrinxit, & applicans ori buccinabat in eo: poſt modicum vero deponens manum quam ſtrinxerat, ore canebat. Erubuit Abbas, quòd non poſſet aliud obtinere reſponſum: & agnoſcens iudicium Dei, non ſine multâ confuſione receſſit. Necdum vir ſanctus de ciuitate exierat, & iam in plauſtro boum Herberti cadauer efferebatur infauſtum; clamante populo, & dicente; Benedictus Deus, qui tradidit impium.*

Quo verò anno hæc contigerint, dubium mihi eſt: hoc quidem certum, quod Fridericus Imp. dedit reſcriptum Veſontione, anno Dominicæ Incarn.
1176. M C L X X V I, cui ſubſcripti legũtur teſtes, *Ilbertus Biſontinus, & Drogo Lugdunenſis Archiepiſcopi, cum Petro Tullenſi, Arducio Gebennenſi, Epiſcopis; Hugone Cluniacenſi Abbate, Ecberchardo Theſaurario Biſuntinæ eccleſiæ, Matthæo Duce Lotharingiæ, Comitibus Alberto*, &c. ex Ioanne à Boſco, in læuo Xyſto bibliothecæ Floriacenſis; qui tamen in eo corrigendus eſt, quòd *Ilbertum* pro

Herber-

Herberto ſcripſerit. Poſt Herberti ſchiſmatici mortem *Rogerius Lauſanenſis Epiſcopus*, & Apoſtolicæ Sedis Legatus Biſuntinam Prouinciam luſtrauit: quod mihi compertum eſt, cùm ex Lauſanenſis Eccleſiæ tabulis, tum etiam ex inſtrumento Bellæuallenſi, quo idem Rogerius, anno 1180, confirmat donatio- 1180.
nes factas Eccleſiæ Bellæuallis; ac ſtatim initio profitetur, ſe fuiſſe delegatum *pro viſitatione Prouinciæ Biſuntinæ, ne quid in eccleſiâ Dei maculoſum remaneret, poſt ſchiſma illud, cuius erat fautor ille Præſul* (Herbertum intelligit) *qui Eccleſiæ Biſuntinæ qualitercúmque præſidebat.*

LVII.

THEODORICVS II.

THEODORICVS *de Montebeligardo* poſteà Eccleſiam rexit. Frequens illius mentio in archiuis Bellæuallenſi, Magdalenſi, & Vincentiano, in chartis, quas fieri iuſſit annis 1181, 82, 83, 84, 85, 86. Anno demum 1189 1181.
(quo anno S. Vincentij monaſterio inſtrumentum 1189.
dedit, cuius hoc initium: *T. Archiepiſcopus Biſontinus, Hieroſolymas partes ad ſubuentionem Crucis adire volens, dedi pro remedio animæ meæ, Abbatiæ S. Vincentij Biſunt.* &c.) cum Friderico Sueuo, filio Friderici Ahenobarbi, ad Acconenſem obſidionem ſe contulit: ex Ioanne *Herold*,

ne *Herold*, in Continuatione belli ſacri poſt Guil. Tyrium, lib. 2, cap. 7; & diſcedens *Oliuerium Abbatem Luxouienſem* Vicarium reliquit: ex chartis Bellæuallenſibus. Quid verò in eâ expeditione geſſerit, proſequitur rythmico carmine Florentinus monachus, libro de recuperatâ Ptolemaïde:

Quid de Archipræſule dicam Biſuntino?
Vir eſt totus deditus operi diuino:
Orat pro fidelibus corde columbino,
Sed pugnat cum perfidis aſtu ſerpentino.
Fecit hic arietem, quem de ferro texit,
Qui noſtrorum animos plurimùm erexit.

Pergit deſcribere, vt ille aries, alioquin ad muros deiiciẽdos aptiſſimus, tamen igne græco à barbaris immiſſo deflagrarit: ac non multò poſt, hæc ſubdit:

Hinc Archiepiſcopus, gemma Clericorum,
Biſuntinus obiit; Duxq́ue Sueuorum,
Qui niſi contraria foret ſors fatorum,
Strauiſſet innumeras acies Turcorum.

Quis hîc literionem illum (*Cognatum* non rideat; qui in ſuâ Burgundiæ ſuperioris deſcriptione, non intellecto *Florentino*, Archiepiſcopum quemdam Biſuntinum (quem non nominat) *Ducem Sueuorum* facit: quaſi non loquatur Poëta de Friderico Sueuiæ Duce, quócũ Biſuntinus Archipræſul obierit, etſi aliquãto poſt tempore: nam obiit Sueuus tempore oppugnationis; Theodoricus autẽ expugnatâ iam vrbe: de quo ſic Ioan. *Herold.* lib. 2 citato, cap. 11, ad finem: *Capitur*, inquit, *vrbs* (Acconenſis) *tertio obſidionis anno,*

anno, 4 Idus Iulij, anno 1191: cum peſte, tantùm apud noſtros, intra paucos dies, pluſquàm quinquaginta Pontifices, Comitéſque periêre: inter quos præcipui nominis, Rauennas, Fauentinus, Veſontinus, & Balduinus Cantuarienſis. Obiit igitur Theodoricus anno 1191; & quidem *nono cal. Decembris*: ex Necrologiis, in quibus conſcripſiſſe dicitur piam illam proſam, quæ in Eccleſiâ Biſontinâ, in Miſsâ diei S. Vincentio ſacræ concini ſolet: cuius prima verba ſunt, *Melos cordi conſonum*: próque eâ decantandâ, annuos centum ſolidos, ac totidem pro ſuo anniuerſario, aſſignaſſe ſuper molendina Campi Martij: dediſſe inſuper S. Stephano, eccleſias *de Vilers, de Quers, & de monte S. Martini.* 1191.

LVIII.

STEPHANVS.

EXTINCTO Theodorico electus eſt Stephanus, filius *Othonis tertij* Merauiæ Ducis, nondum tamen confirmatus, quod per ætatem obire id muneris non poſſet. Sed dum expectatur in fructu maturitas, deciditur præter expectationem: exacto à ſuâ electione biennio, vt habet antiquus catalogus S. Magdalenes, obiit 4 Idus Iunij: ſepultus in atrio baſilicæ S. Stephani; cuius tumulo inſcriptum legitur:

STEPHANVS
BISVNTINVS
ELECTVS

Ad oras tumuli, quatuor inſculpta carmina; è quibus tertium diſruptus ſaxi angulus nobis eripuit:

Forma, decus morum, ſpes regni, culmen honorum,
Fulxit in hunc; horum ſedes fuit iſte bonorum
. . . .
Tot bona, tamque breui, caſus breuis abſtulit æui.

In eodem templi, atrio ſepulti ſunt octo Burgundiæ Comites; quorum epitaphium olim in lapide inſcriptum, detrito eo & exeſo, Canonici beneficiorum ab iis acceptorum memores, ad murum deſcribi curauerunt, expreſſis ſingulorum imaginibus; addito in medio, S. Stephani Protomartyris habitu, Stephano Electo. Subſcripta ſunt iconibus nomina hoc ordine:

Gerardus Comes Viennenſis, Dominus de Salinis.
Galtherus Comes Burgundiæ, & Viennenſis.
Regnauldus Comes Burgundiæ, Viennenſiſque, & Matiſconenſis.
Otho Comes Burgundiæ, & Dux Merauiæ.
Stephanus de Burgundiâ, Electus Biſontinus, frater Othonis Comitis.
Otho Comes Burgundiæ, qui inſtituit duos Capellanos ad altare S. Theodoli.

Regnaul

Regnauldus Comes Burgundiæ, pater Beatricis Imperatricis.

Vvilermus Comes Burgundiæ, Matiſconenſis, & Viennenſis.

Vvilermus Magnus Exarches Burgundiæ, Viennenſis, & Matiſconenſis.

Epitaphium verò eſt huiuſmodi:

SEPVLTVRA PRVDENTVM BVRGVNDIÆ COMITVM.

Bis quater hîc Comitũ ſunt corpora, queis dedit ictũ
Mors, & ibi ſolitum nobis ſoluêre tributum.
Spiritus in cœlis horum manibus Michaelis
Sancti portantur, & in altâ ſede locantur.

Alterius Epitaphij loco ſubiiciuntur duo ſequentia diſticha:

Nobilium turba, quos mors ſubduxit acerba,
Octo iacent Comites, vt patet, ipſe vides.
Illis parce Deus; dic lector voce benignus,
Vt tibi poſt mortem conferat alter idem.

De Stephano verò notatu digna res eſt, malè eum à Goluſio lib. 7, cap. 18, dici filium *Othonis* quinti, Comitis Palatini Burgundiæ, ex *Mathilde* filiâ *Roberti* Comitis Arteſiæ, cui nupſerat anno 1192. Antiquior eſt Stephanus Electus, quem meliùs idem Goluſius lib. 6, cap. 38, natum dixerat *Othone* tertio Merauiæ Duce, ex *Alix* Comitiſsâ Palatinâ Burgundiæ, ac fratrem Othonis Comitis Burgundiæ, filij dictorum coniugum.

LIX. *AME*

LIX.

AMEDEVS.

STEPHANO ſubrogatur Amedeus, cuius frequens mentio in antiquis inſtrumentis, quæ Veſontione, quæque in Abbatiâ Gollianâ,cuius eccleſiam,paulò ante obitum,in honorem B. Virginis dedicauit, & conſecrauit ritu ſolemni.

Ad Celeſtinum Papam delatum eſt eius nomẽ de periurio, ſimoniâ, & inceſtu; *à G. Decano S. Stephani; Gerardo Cantore S. Stephani ; Ioanne Salinenſi, T. de Graiaco, Io. de Vareſco, O.Fauerniacenſi Archidiaconis, & Norandino Subdiacono.* Dicta eſt igitur illi à Pontifice dies, quâ ad Sedem Romanam , ad obiecta reſponſurus accederet ; quod & fecit conſtituto tempore: ſed cùm intereà diem obiiſſet Celeſtinus tertius , ea cauſa ad Innocentium tertium Celeſtini ſucceſſorẽ pertinuit : qui Amedeum dimiſit , rei inquiſitione, Epiſcopo Cabilonenſi, & Abbati de Firmitate , cõmiſsâ.*Hæc ex epiſtolâ quâdam Innocentij III, quæ cuſa extat inter eius decretales.* In Canonicos Amedei delatores,
1212. accuſationes deinde conuerſæ : quare Innocentius anno 1212, Legatum miſit *Bernardum* Gebennenſem Epiſc. qui eius vice de maioris vtriuſque eccleſiæ Canonicorum moribus cognoſceret : ſic enim habet di

bet diploma, quod deſcriptum eſt in veteri codice S. Ioannis:

Vniuerſis Chriſti fidelibus, B. diuinâ permiſſione Gebennenſis Epiſcopus, ſalutem in ſalutis auctore. Cùm ad paruitatem noſtram mandatum Apoſtolicum emanaſſet, vt accederemus ad eccleſias S. Ioannis, & S. Stephani Biſontini, eiſque vice ipſius impenderemus viſitationis officium, inquirentes quæ eſſent circa Canonicos inquirendas & appellatione remotâ reformaremus pariter: nos ad vtramque eccleſiam acceſſimus, &c. *Actum Biſuntij in Capitulo S. Ioannis, in octauis Sancti Matthæi Apoſtoli, Anno Domin. Incarn. MCCXII.*

Nec multò poſt, anno ſcilicet 1214, iterum mul- 1214.
torum criminum reus vulgatur Amedeus. Commiſit Pontifex Lingonenſi Epiſcopo, & Abbati Morimundi; qui purgationem canonicam ab eodem, ſuper totius vitæ actis, & eis præcipuè, quæ in eccleſiaſticâ dignitate geſſiſſet, acciperent; & ſi illam præſtitiſſet, in officio permanere tolerarent. *Hæc ex Innocentij tertij epiſtolâ 166, Abrahamus* Bzouius *tomo 13 annalium eccleſiaſt. qui primus eſt continuationis* Baronij, *anno* 1214, *num.* 1. Vt cauſa illa ceſſerit, non cognouimus. Eodem anno *Amedeus* cũ Triderico Treuerenſi Archiepiſc. Deſiderio Dyenſi, Conrado Conſtantienſi, Henrico Argentinenſi, Vvaldrico Baſileenſi Electo, Gaufrido Tricaſtino Epiſcopis, ſubſcripſit diplomati Friderici II Imp. pro Eccleſiâ Viennenſi, dato Baſileæ, anno Domini 1214, Indict. 3, Regni 2, 9 Cal. Decẽb. *Biblioth. Floriac.* Obiit deinde Amedeus 15 cal. Febr.

1218. Febr. anno 1218. Cúmque incertum ſit, quonam ſuæ diœceſis loco ſepultus ſit, eum obiiſſe ſuſpicor in expeditione terræ ſanctæ; ad quam per ea tempora, ex omni orbe Catholico Principes, atque Epiſcopi concurrebant. Et hunc ipſum eſſe puto, qui diſcedēs, Henrico cuidam Camerario partes ſuas commendauit: vt comperi in inſtrumento Bellæuallenſi, dato ad annum 1218, cuius hoc eſt initium: *Henricus Camerarius Curiæ Biſuntinæ, fungens vice, & auctoritate Domini Archiepiſcopi Biſuntini, dum idem Archiepiſcopus eſſet in partibus tranſmarinis; Notum facio, quòd Richardus Comes Montisbeligardi, conceſſit eccleſiæ Bellæuallis*, &c.

L X.

EBRARDVS.

EBRARDVS Eccleſiæ Sancti Ioannis argenteam thecam obtulit, quâ incluſæ ſeruantur particulæ quædam *de fimbriis veſtium Chriſti Domini, déque eius ſepulchro:* cōſecrauit altare Monaſterij *de Roſieres* per Galcherum Dominum Salinenſem fundati anno 1219: obiit
1219. *tertio Nonas Octobris*, ex Necrologiis S. Ioannis & S. Stephani.

LXI. GI

L X I.

GIRARDVS I.

MVLTAS dedit chartas Girardus anno 1221.
1221. Anno 1223 confirmauit donationem 1223.
X X librarum, ſuper puteum Salinarum. factam eccleſiæ Gollianæ, per *D. Idam Duciſſam Lotharingiæ, Dominam de Coloniaco*, filiam *Giraldi* Comitis Burgundiæ, ſororem Comitis *Vvilelmi*, & *Galcheri* Domini de Salinis, & de caſtro Braconio: qui anno 1219, vnâ die tria cœnobia fundaſſe dicitur; manè quidem *Roſerianum*, meridie verò *Gollianum*, at veſpere *Sanctimarianum*: iacétque prope *Idam* ſororem in eccleſiâ Gollianâ. *Ex archiuo Golliano.*

Anno 1224, varia apud Bellamuallem dedit di- 1224.
plomata: & vnum quoque pro eccleſiâ S. Stephani, 4 Nonas Martij, duodecim ante mortem diebus: quo diplomate teſtatur ſe in eccleſiâ S. Stephani à puero fuiſſe educatum, deinde in eiuſdem eccleſiæ Decanum promotum, multos in eo munere annos exegiſſe. E viuis exceſſit, *Idibus Martij* anni *prædicti* 1224, cùm alioqui Ioannes eius ſucceſſor, inſtrumentum confeciſſe dicatur anno 1225, menſe Martio. Non ergo Idibus Martiis eiuſdem anni obierit Girardus, ſed anni proximè præcedẽtis. Sepultus eſt apud Bellãuallẽ, ante maius altare, nullo epitaphio.

Hoc verò Girardo ſedente, fratres Prædicatores è familiâ S. Dominici, Veſontione recepti ſunt, circa annum 1223. Occaſionem refert S. Antoninus, tit
1223.
23, cap. 9, §. 3; vbi de B. Iordane, primo, poſt S. Dominicum, generali Ordinis Magiſtro: *Alterâ vice*, inquit, *cum tranſiret* (Iordanes) *per Biſuntium, antequàm Fratres domum ibi haberent, contigit eum ibi grauiter infirmari. Quadam ergo die cùm febribus vehementer æſtuaret, factũ eſt vt in immenſum ſitiret. Et ecce iuuenis habẽs mappam albam ad collum, lagenam vini portans in vnâ manu, & ſcyphum argenteùm in aliâ, obtulit ei, dicens; Magiſter, ecce porto vobis optimum potum, de quo bibatis ſecurè, quia in nullo nocebit vobis. Qui non ignorans aſtutias eius (ſcilicet diaboli) commendauit ſe Deo, muniens ſe ſigno Crucis: qui ſtatim diſparuit. Ex deuotione autem, quam ceperunt Archiepiſcopus, & populus ad ſanctitatem viri, dederunt ei locum ad ædificandum Conuentum.* Hæc ille. Ea domus, olim à numero, *Conuentus centum fratrum* dicebatur. Et quamquam ædes ipſæ peramplæ ac ſplendidæ, eleemoſynis ex omni ordine corrogatis exſtructæ ſunt; tamen Capitulo S. Ioannis Euangeliſtæ, quòd fundum conceſſiſſet, fundationem adſcribit Girar-
1224. dus Archiepiſcopus, dato diplomate ad annum 1224, his verbis:

Memoriæ dignum duximùs tradere futurorum, quòd Venerabiles fratres noſtri Decanus, totúmque Capitulum noſtræ Biſuntinæ matricis eccleſiæ S. Ioannis Euang. attendentes, &c. *Reuerendos fratres Canonicos Ordinis Prædicatorum, ad ciuitatem noſtram inſtinctu S. Spiritus vocauerunt. Ipſis*

etiam

etiam iuxta molendina ſua de ripâ, locum dederunt (hinc barbaro nomine, fratres *Riuetæ* dictos legimus in archiuo S. Magdal. in teſtamento Theobaldi Cantoris, anno 1254: quaſi dicas, *paruæ ripæ*: quòd eorum domus ad ripam Dubij fluminis conſtituta ſit) *& ad ædificationem loci, conſilium & auxilium plurimum impenderunt. Supplicauerunt etiam nobis, vt nos prædictis fratribus in eodem loco cimeterium benediceremus, ad ſepeliendum ibi fratres Ordinis prædicti, & eos qui ibi elegerint ſepulturam; ſaluo in omnibus iure parochiali, & iure prædictæ matricis eccleſiæ S. Ioannis Euangeliſtæ; quæ fundatrix & patrona eſt prædictæ domus Ordinis Prædicatorum. Et quicumque in domo illâ pro tempore Prior exſtiterit, fidelitatem & reuerentiam debet eccleſiæ ſupradictæ S. Ioannis, ſicut Canonicus ſpiritualis eccleſiæ.* Hæc ex chartâ Girardi: cuius exemplar reperi inter tumultuarias ſchedas Petri Chiffletij S. Theologiæ Doctoris, & Canonici Metropl. Biſontini, Patrui mei qui anno 1574,

Oſtentatus, raptuſque ſimul,
Solſtitialis velut herba ſolet,

in ipſo iuuentæ flore, conditus eſt in choro eccleſiæ S. Petri, iuxta Sanctorum ſepulchra, in monumento familiari, quod (propter religionem loci) hæredes tantùm maſculos & innuptos ſequitur.

Ad Biſontinam Prædicatorum domum (quam S. Anton. tit. 23, c. 13. §. 1, quinquaginta nouem Prouinciæ Franciæ Conuentus enumerans, quarto loco recenſet) Inquiſitio fidei, quam vocant, ab æuo pertinuit. Hinc Innocentius IV, anno 1247, Priori Bi-

ſuntino,vt in Lotharingiam & Burgundiam, ad extirpandos hæreticos clam pullulantes, Inquiſitores viros idoneos deſtinaret, præcepit epiſtolâ 370, datâ 16 cal.Decēb. *Bzouius continuator Baronij anno* 1247, *num.* 4. Et fuit ſanè ea familia magnorum virorum ferax: nam, vt de *S. Vincentio Ferrario* taceam, quem olim vidit Veſontio (prout in *Theobaldo* dicturi ſumus) aliquot Archiepiſcopi Suffraganeos tulit: ac duos Generales Ordinis Magiſtros, octauum,& decimumoctauum; de quibus ſic frater Vincentius *de Caſtronouo*, in chronicâ Generalium,ad calcem Conſtitutionum Ordinis S. Dominici: *Anno* 1292, *in Capitulo Romæ celebrato,electus eſt in Magiſtrum Ordinis octauum F.Stephanus Biſuntinus Magiſter in Theologiâ,& præfuit duobus annis. Hic obiit anno* 1295, *in Conuentu Lucano. Scripſit autem ſuper Eccleſiaſten. Item libellum de auctoritatibus Sanctorum & Philoſophorum.Item librum exemplorum per alphabetum narrationum.Item poſtillam ſuper Apocalypſin.* & inferiùs: *Anno* 1343, *electus fuit in Magiſtru Generalem Ordinis decimumoctauum frater Petrus de Palmâ, Magiſter in Theologiâ, Prouinciæ Franciæ, Conuentus Biſuntini.* Scripſit hic Petrus de Palmâ, librum eruditum in epiſtolas & Euangelia; quem cum aliis manuſcriptis in meâ bibliothecâ ſeruo. Extat in Doctoris Angelici lucubrationibus, Opuſculum duodecimum, quo reſpondet ad ſex quæſtiones à *Gerardo* Lectore Biſuntino propoſitas. Porrò in ſacrario Eccleſiæ Prædicatorum Biſont. inter alia ſeruatur *Cranium Sancti Ermenfredi Abbatis Cuſanciæ*. Et in Con

in Conuentu, celebrata nuper anno 1615, Generalis Gallicana Ordinis Prædicatorum congregatio, maximo omnium Ordinum Ciuitatis fauore, & applauſu.

L X I I.

JOANNES I.

CIACONIVS in Honorio III, agẽs de *Conrado* Bauariæ Duce, inde monacho Ciſtertienſi, poſteà Cardinali Epiſc. Portuenſi, & Sedis Apoſtolicæ, pro bello ſacro ac aduersùs Albigenſes hæreticos Legato: cum à Capitulo Biſuntino in Archiepiſcopum electum fuiſſe dicit: tamen ab Honorio Pontifice vetitum id muneris admittere, quod ipſius operâ in grauioribus Chriſtianæ reipublicæ negotiis vti vellet. Ea verò electio, cùm æquè vacante per Ebrardi obitum Biſontinâ Sede facta eſſe potuerit, quantùm ex temporum rationibus potui colligere; in hunc tamen locum tutiùs referri videtur; quod vero ſimile non ſit extincto Ebrardo, in Conradum potiùs, hominem extraneum, quàm in *Girardum* Decanum S. Stephani, & domeſticarum Eccleſiæ Biſontinæ rerum ſcientiſſimum, ac cætera ad Archiepiſcopatum idoneum, electorum ſuffragia propendiſſe: ſed magis id factũ videatur, cùm deficiente in Biſontino Clero homi-

ne idoneo, aliunde adſciſci debuit, & in Ioannem denique Ambianenſem Decanum conſenſum eſt. Hic verò obiter notandus Baronij continuator *Bzouius*, anno 1222, num.6, qui Ciaconium citato loco ſic intellexit, quaſi de *Ioanne* quodam *Argotoraſenſi*, Ordinis Prædic. dicat, eum à Capitulo Biſontino electum fuiſſe: cùm tamen ea Ciaconij verba ad *Conradum* referenda ſint, vt planum erit legenti. Igitur Girardo ſuccedit Ioannes *de Abbatis-Villâ*, diœceſis Ambianenſis, Picardus, monachus quondam Congregationis Cluniacenſis, & Prior monaſterij de Abbatis-Villâ (malè *Abbatem* vocant Onuphrius in Gregorio IX, Ciaconius ibidem, & Arnoldus Vvion in ligno vitæ:) qui cùm in Pariſienſi Academiâ, multis annis Theologiam, magnâque laude docuiſſet, atque in primis egregiâ polleret dicendi facultate, factus eſt ex Magiſtro Pariſienſi, Archipræſul Biſontinus. Id muneris per duos annos geſſit, vt habet catalogus S. Magdal. exſtátque in archæo S. Magdalenes, diploma iam ab eo datum menſe Martio an-
1225. ni 1225, data verò anno 1226 quamplurima, ſicut &
1226. apud Bellamuallem. Ab eo moniales S. Mariæ *de Battant*, ad Ciſtertienſem regulam reſtitutæ ſunt, vt ſuprà monuimus in S. Donato. Ad hæc controuerſiam de maternitate eccleſiarum, eo qui ſequitur modo definiuit: *His ſupradictis accedit ſententia diffinitiua Venerabilis Patris noſtri, Domini Ioannis quondam Archiepiſcopi noſtri Biſuntini, qui poſtmodùm factus eſt Sabinenſis Epiſcopus Cardinalis. Cùm enim ſub eo eccleſia Sancti Stepha*

Stephani contra eccleſiam S. Ioannis contenderet, de dignitate maternitatis, placuit vtrique parti, vt quod ipſe Dominus Ioannes per diffinitiuam ſententiam pronuntiaret ſuper hoc obſeruandum, ab vtraque parte teneretur: & de hoc tenendo Canonici vtriuſque eccleſiæ fidem dederunt: inſuper vtraque eccleſia ſe alteri obligauit, in mille marchis perſoluendis ab eâ, quæ à ſententiâ Domini dicti Ioannis reſiliret. Ipſe autem Dominus Ioannes Archiep. Biſunt. auditis rationibus, & inſpectis ſcriptis vtriuſque partis, per diffinitiuam ſententiam pronunciauit, quòd eccleſia S. Ioannis, in quâ primò incathedratur Archiepiſcopus, quòd pleniùs ea obtinet quæ ad maternitatem pertinere noſcuntur, in totâ Biſuntinæ Ciuitatis parochiâ, ſola matris eccleſiæ poſſideat dignitatem: ſicut continetur in authentico eiuſdem Domini Ioannis, quod ita incipitur; In nomine Patris, &c. Et hanc ſententiam ſuam ipſe in Synodo Biſuntinâ promulgauit, & per excommunicationem futuris temporibus obſeruari præcepit. Hanc etiam ſententiam Dominus Papa Gregorius nonus approbauit & confirmauit. Hæc vetuſtus codex M S. S. Ioannis.

Anno 1227, Anagniæ creatus eſt à Gregorio IX 1227. Cardinalis Epiſcopus Sabinenſis, in quatuor temporibus menſis Septembris: *plura de illo Ciacon. in Greg. IX.* Hunc verò Ioannem *de Abbatis-villâ*, cui Trithemius de ſcriptoribus eccleſiaſticis, & Ciaconius adſcribunt libros quatuor de tempore, & de Sanctis, eumdem eſſe puto cum *Ioanne Halgrino*, auctore Sexti commentarij in Cantica: nam & Coccius in Theſauro, Ioannem Algrinum (quem anno 1227 vixiſſe notat)

notat) Biſuntinum Archiepiſcopum vocat. & Sixtus Senenſis libro quarto bibliothecæ, cùm ſcriptores ſacros alphabetico ordine recenſet, duobus locis meminit auctoris commentarij ſexti in Cantica, Pariſiis editi per Aſcenſium, anno 1521; & quem poſteriore loco Ioannem *Halgrinum* dicit, prius *Ioannem de Abbatiſ-villâ, Archiepiſcopum Biſuntinum* nominarat. Hoc autem adducor vt credam, quòd vterque *Cardinalis Sabinenſis* nominetur, & ſub Gregorio IX dicatur floruiſſe. Certè ad calcem illius commentarij in Cantica, quē vidi editum Pariſiis anno 1521, typis Aſcenſij, legitur, Ioannem Halgrinum, dictum *de Abbatiſ-villâ*, Decanum Ambianenſem, Cantorem de Abbatiſ-villâ, & Cardinalem Sabinenſem, finem illi operi impoſuiſſe anno 1233; illúdque opus poſtmodùm ſedente adhuc Gregorio IX, fuiſſe approbatum: (ex quo manifeſti erroris arguitur Sixtus Senenſis, qui lib. 4 citato, dicit Ioannem Halgrinum, auctorem ſexti Commentarij in Cantica, circa annum Domini 1450, floruiſſe): at conſtat, non alium per ea tempora exſtitiſſe Cardinalem Sabinenſem, à Ioanne *de Abbatiſ-villâ*, qui & fuerat Archiepiſcopus Biſuntinus. Decanatum verò Ambianenſem, & officium Cantoris *Abbatiſ-villæ*, geſſiſſe potuit vel adhuc Prior *Abbatiſ-villæ*, vel abdicato iam Prioratu. Nec mirum, hos adeò illuſtres commentarios à Trithemio non recenſeri; cùm ipſe fateatur, Ioannem *de Abbatiſ-villâ*, multa quoque alia edidiſſe opera, quæ ad notitiam ſuam non peruenerint.

Eum

Eum quidam ſepultum dicunt Salinis, anno 1229: ſed nulla eius apud Salinenſes memoria; & *Nicolaus*, ipſius in Archiepiſcopatu ſucceſſor, in inſtrumento Bellæuallēſi, quod dedit anno 1234, *Ioannis prædeceſſòris ſui, tunc Sabinenſis Epiſc.* meminit: non ergo obierat anno 1229. Ciaconius eum fato functũ dicit circa annũ 1240: ſed quoniam idem Ciaconius, Gaufridũ *de Caſtilione* creatum dicit à Gregorio IX, Epiſc. Card. Sabinum anno 1237 (quod fieri non potuit, niſi mor- 1237.
tuo Ioanne eiuſdem tituli Cardinali;) eo pariter anno, aut præcedenti 1236, Ioannem vitâ functum putamus. In necrologio verò S. Ioannis, ſic notatur dies eius obitus. *IV cal. octob. obiit Ioannes Epiſcopus Sabinenſis, qui priùs fuerat Archiepiſcopus Biſuntinus.*

Per ea tempora, dum adhuc Seraphicus ille *Franciſcus* in terris ageret, ipſius Inſtituti religioſi ſectatores ciuitate donati ſunt, illíſque à Senatu populóque Biſontino, templum, & percommodæ ędes erectæ. Quod opus ita inter ſeſe partiti ſunt ciues; vt quibus ampla domi res eſſet, ij pecunias conferrent in ædificij ſumptus; cæteri fortunæ tenuioris, ſuas ipſi manus, atque operam præſtarent. *Hæc ex archiuo ciuicæ domus*: neque enim Franciſcanis noſtris vlla reliqua ſunt illorum temporum monumēta; quæ ipſis quà flammarum (anno 1520,) quà vndarum iniuriâ periêre: annis quippe 1263, 1456, & 1570, erumpētium è ſuis alueis aquarum ea vis fuit, vt in templum ac domeſtica cubicula illapſæ, eorum chartas omnes ac diplomata confecerint, atque expunxerint: cuius

rei fidem facit diſtichon ad quemdam domus illius parietem adſcriptum, ſexto minimùm pede à pauimento (nam eò vſque deuenerant aquæ, anno illo 1570, tertiâ die Decembris;)

Dubis erat dubius, noſtras ſorberet an ædes,
Cùm tot aquas iſtam vexit ad vſque notam.

Eam Franciſcanorum domum, nonnulli Sequanicarum, quidam etiam Tranſalpinarum omnium antiquiſſimam faciunt. Vtut ſit eâ de re, illud ſanè certum, vt ex domus ciuicæ chartophylacio retulimus, viuente adhuc B. Franciſco fuiſſe excitatam: qui cùm anno 1226 ad cœlos emigrarit; veróque ſimile putemus non leuibus adducti coniecturis, priùs Dominicanos domicilium Veſontione accepiſſe anno 1224, quàm Fráciſcanos; his certè extructas ædes putamus ipſo anno 1226, aut proximè præcedenti, cùm Ioannes Halgrinus Biſontinæ præeſſet eccleſiæ.

LXIII.

NICOLAVS.

1227. TRANSLATO ad Sabinenſem Epiſcopatum Ioanne, anno, vt vidimus, 1227, & vacante Sede Biſontinâ, mandauit Gregorius IX, Decano & Capitulo S. Ioannis & ſancti Stephani; vt intra dies quadraginta à ſuis literis receptis, idoneum ſibi Paſtorem canonicè eligerent, adhibi

adhibitis in conſilium Abbatibus *S. Benigni* Diuionenſis, & *Moriſmundi*, ac fratre G. de Ordine Prædicatorum : id ni facerent conſtituto tempore, ad hos tres ius omne eligendi Archiepiſcopi deuolueretur. Acceptis literis Pontificiis, ſeni ex omnibus communi conſenſu deputati ſunt, quibus omnis à Capitulo, eligendi Archiepiſcopi collata poteſtas. Sed cùm Abbatem S. Benigni elegiſſent, non ſeruatis ad amuſſim iis quæ Pontifex obſeruari præceperat; idem Papa, re inquiſitâ per Archiepiſcopum Viennenſem, & Abbatem *de Firmitate*, electionem Abbatis, non perſonæ, ſed electionis ipſius vitio irritam declarauit. *Vide in decretalibus cap. 52. cùm in veteri, de electione*. Cùm hæc gererentur, neceſſe fuit produci aliquamdiu interregnum. Tandem *Nicolaus de Flauigneyo*, Decanus Lingonenſis, vir vel pietatis, vel doctrinæ nomine clariſſimus, ad Archiepiſcopalis dignitatis apicem euehitur à Gregorio IX: *ex M S. Veteri*. Exſtat in archiuo Belleuallenſi charta quædam à Nicolao data, anno 1229, menſe Februario : aliæ item plurimæ, tum ibidem, tum in 1230.
chartulariis Biſontinis, annorum 1230, 1231, 1232, 1233, 1123.
1234, & 1235; quo anno 1235, 7 Idus Septembris, auctis reditibus Eccleſiæ ſuæ, & expletis boni Paſtoris partibus, Moguntiæ (ex Godefrido Monacho) è viuis exceſſit: cùm (vt habet M S. Codex S. Magdal.) ſex annis præfuiſſet. Conditus creditur corá maiori altari Eccleſię Bellæuallis, abſque tumuli epigraphâ.

Inter alia, quæ piè geſſiſſe legitur, illud non in

poſtremis cenſendum, quod *S. Anatholij*, clariſſimi apud Salinas Confeſſoris, Epiſcopi natione Scoti, qui vitam eo loco vixit ſolitariam, ſacrum corpus honoratiore capsâ includendum releuarit: cuius rei monumentum exſtat in Martyrologio Baſilicæ S. Anatholij Salinenſis, his verbis: *Kal. Septemb. Salinis, Releuatio Beati Anatholij Confeſſoris atque Pontificis, per manus Domini Nicolai Archiepiſcopi Biſuntini.*

L X I V.

G A V F R I D V S.

SVBROGATVS eſt *Nicolao* Gaufridus,
cuius iam electi, necdum confirmati ex-
ſtat diploma apud Bellamuallem, datum
1236. anno 1236, in Vigiliâ B. Laurentij, & ibi-
1237. dem aliud eiuſdem iam confirmati, anno 1237, in
Inuentione S. Crucis. Aſtitiſſe legitur, tertia die an-
te octauam B. Martini, Gregorio nono altare maius
eccleſiæ ſanctæ Sabinæ de Monte Auentino in Vr-
be, propriis manibus conſecranti; cum Meſſanenſi
Archiepiſcopo, & quamplurimis Epiſcopis, & alia-
rum Eccleſiarum Prælatis: *Ex diplomate Gregorij IX. dato Laterani*, 10. *Cal. Iulij, anno ab Incarn.* 1238. *Pontif. anno* 13, *quod refert Bzouius anno* 1238, *num.* 6. Cum autem Gregorius IX Concilium apud Lateranum indixiſſet, datis literis anno 1240. Pont. 14, prioribus quidem 5 idus Auguſti, poſterioribus vero, idibus

bus Octobris, & in Vrbem Prælati ex omni orbe conuenirent, egit Fridericus ſecundus Imperator Schiſmaticus, vt interciperentur ex itinere, aditibus omnibus terra marique interclusis. Eam ob rem, *Entium* Regem filium ſuum ſpurium Piſas deſtinauit; qui cùm Legatos Cardinales, alioſque magno numero Prælatos, Genuenſium vectos nauibus Romam contendere, per exploratores cognouiſſet, obuiam progreſſus cum ſuis Piſanis, eos adortus eſt inter portum Piſanum, & Corſicæ Inſulam. Quæ pugna cùm malè ceſſiſſet Genuenſibus, cæſi ſunt ex iis quamplurimi, atque etiam ex Prælatis; cæteri capti ad Imperatorem deducti ſunt, & variis in locis cuſtodiæ mancipati. Hæc benè multi auctores; accuratè ſatis Ciaconius in Gregorio IX, præſertim vbi agit de Cardinali Iacobo *de Pecorariâ*: at Nauclerus volumine ſecundo Chronographiæ, Generatione 42, diſertè aſſerit, in eo conflictu *Veſontinum Archiepiſcopum* in mare ſubmerſum occubuiſſe. Eam cladem malè Ciaconius refert in annum 1240: rectiùs Vignierus in Bibliotheca hiſtorica, & Andreas *du Cheſne*, in Pontificibus (vterque liber Gallicus) eam contigiſſe notant *anno* 1241, *quinto nonas* 1241.
Maij: tametſi nos, aut *ſexto* tantùm, aut *quinto ſimul & ſexto nonas Maij*, ſtragem illam editam putamus; cùm in Biſontinis necrologiis, Gaufridi (tunc, vt ait Nauclerus, exſtincti) obitus notetur *ſexto nonas Maij*. Malè etiam Ciaconius Archiepiſcopum Biſuntinum, captiuum cum cæteris abductum refert.

Obiit igitur Gaufridus anno 1241, 6 Nonas Maij: & vacauit poſt eum Sedes, quatuor circiter annos, cùm afflictiſſima eſſet res Chriſtiana, apertis Friderici II, in Pontifices coniurationibus. Exſtat in archæo S. Magdalenes diploma, quod per ea tempora dedit *A. Decanus Biſuntinus, ſedem Biſuntinam vacantem regens, anno Domini* 1244, *in craſtino Bordarum.*

LXV.

IOANNES II.

EODEM anno 1244, electus eſt in Archiepiſcopum *Ioannes* eius nominis ſecundus, qui quòd poſt paucos menſes ius ſuum alteri ceſſit, propterea in omnibus catalogis omittitur. Exſtant tamen in archiuo Monaſterij Bellævallis, Ordinis Ciſtertienſis, duo diplomata à *Ioanne Electo Biſontino* data, anno 1244, menſe Septembri. Quo ipſo anno, Innocentij quarti ſecundo, in 4 Temporibus Aduentus Domini, Lugduni in Concilio Generali, ab eodem Pontifice creatus eſt Card. t t. S. Laurentij in Lucina: de quo hæc Ciaconius in Innocentio IV, Vrbano IV, & Gregorio X.

F. Ioannes Franciogia, de Villâ Abbatis, ſeu de Abbatis-Villâ, Burgundus, Gallus, Monachus Ciſtertienſis, Magiſter in Theologiâ, vir doctiſſimus, Archiepiſcopus Biſuntinus, *creatus*

creatus eſt ab Innocentio IV, Preſb. Card. tt. S. Laurentij in Luciná, Lugduni in Concilio generali, anno D.1244, Pontif. 2, in 4 temporibus Aduentus Domini. Deinde ab Vrbano IV, anno Domini, 1261, Pontif.1, menſe Decembri, Viterbij creatus Epiſc. Card. Portuenſis, & S. Rufinæ. Anno demùm 1274, pridie Idus Iulij, obiit Lugduni in Concilio generali, ſub Gregorio decimo; ibidem ſepultus. plura de illo habet in Innocentio quarto. Sepultum autem puto Lugduni apud Dominicanos. Iuuerit verò hîc annotare errorem Arnoldi Vvionis, qui libro 2 Ligni Vitæ, Ioannem *Franciogiam* cum Ioanne *Halgrino* (de quo ſuprà) confudit: cùm hic, monachus fuerit Cluniacenſis; ille, Ciſtertienſis: hic, Cardinalis Sabinenſis à Gregorio IX creatus Anagniæ, 1227: ille, tt. S. Laurentij in Lucinâ, ab Innocentio IV, Lugduni anno 1244, Halgrino iam, vt vidimus, defunɑ̃o. Sed deceptus eſt, quòd vterque dictus ſit *de Abbatiſ-villâ*, vterque item fuerit Archiepiſcopus Biſuntinus, nec valdè longo diſſiti ſint interuallo.

LXVI.

GVILELMVS II.

GVILELMVS Imperatoriâ familiâ natus, ex Cabilonenſi Epiſcopatu, in quo conſtitutus fuerat anno 1231, *ex MS. apud D. Seuertium in catalogo Epiſc. Cabilonenſium*; tranſlatus eſt ad Sedem

Biſon

Biſontinam, anno 1245. *San-Iulianus.* Eodémque anno 1245, interfuit cum duodecim Cardinalibus, & aliis magno numero Prælatis, Miſſæ ab Innocentio IV Papâ Cluniaci celebratæ, in feſto S. Andreæ Apoſtoli: *ex Chron. Cluniac.* Concilio quoque Lugdunenſi interfuit ſub eodem Innocentio IV.

1246. Anno verò 1246, releuauit ſacra corpora SS. Martyrum *Ferreoli* ac *Ferrutij*, vt teſtatur Martyrologium Biſontinum S. Ioannis, his verbis: *Anno Domini 1246, 4 Nonas Septemb. reſidente apud Lugdunum Innocentio Papâ quarto, facta eſt in hac eccleſiâ reuelatio* (releuationem fortaſſe meliùs dixiſſet) *Sanctorum Martyrum Ferreoli, & Ferrutij, prædicatorum huius vrbis; per Venerabiles Patres, Vilelmum Archiepiſcopum Biſunt. Ioannem Lauſanenſem, Seguin. Matiſconenſem, Alexandrum Cabilonenſem, Anſericum* . . . ., *& alios Prælatos ciuitatis & diæceſis Biſuntinæ.* Quæ vt capias, lector, memorem te eſſe oportet eorum, quæ ex eccleſiarum libris retulimus in Hugone primo; eum ſcilicet reliquiarum *S. Ferreoli & S. Ferrutij* partem minorem, in ipſorum eccleſiâ extra ciuitatem conſtitutâ reliquiſſe: maiorem verò partem in S. Ioannis baſilicā delatam, condidiſſe in altari Beatiſſimæ Virginis. *Minoris partis* nomine intelligenda exiſtimo pauca quædam oſſa, quæ hodiéque habentur in Martyrum eccleſiâ extra vrbem: per *maiorem* verò *partem* deſignari puto quicquid nunc aſſeruatur in baſilicis duabus, S. Ioannis, & S. Vincentij: adeò vt hæc à Guilelmo facta releuatio, nihil aliud ſit, quàm ſacrorum

crorum corporum collocatio in capſis ac thecis ex ligno deaurato affabrè factis, quibus poſteà, vt inferiùs dicemus, ſucceſsêre argenteæ: & eodem tempore, exiſtimo mediam ferè ſacrarum reliquiarum partem, quæ hodie exſtat in eccleſiâ S. Vincentij, eò ex S. Ioannis baſilicâ fuiſſe tranſlatam.

Sub eodem Guilelmo (cùm ad eius vſque tempora perduraſſet vetus illa inter Canonicos S. Ioannis, & S. Stephani, de ſuarum eccleſiarum præcellentiâ contentio) facta eſt vnio Capitulorum Maioris vtriuſque eccleſiæ; delegato ad id muneris à Sede Apoſtolicâ, Hugone de S. Caro, Burgundo, Ord. Prædicatorum, tt. S. Sabinæ Presbytero Cardinali: in cuius rei fidem confectum eſt hoc, quod ſequitur, inſtrumentum.

Nos F. Hugo miſeratione diuinâ T T. Sanctæ Sabinæ Preſb. Card. Apoſtolicæ Sedis Legatus, Notum facimus vniuerſis, quòd Venerabilis Pater Archiepiſcopus, Ioannes Decanus totúmque Capitulum Eccleſiæ S. Ioannis Euangeliſtæ, ac Pontius Decanus totúmque Capitulum eccleſiæ S. Stephani Biſunt. ſuper vnione ipſarum eccleſiarum, & ad ipſam vnionem pertinentibus, voluntati & ordinationi noſtræ iuramento præſtito ſtare firmiter promiſerunt. Nos itaque cum Archiepiſcopo, Decanis, & Capitulis prædictis, tractatu ſuper præmiſſis habito diligenti, de prudentum virorum conſilio, volumus, ordinamus, & ſtatuimus, quòd eccleſiæ prædictæ quas vnimus, vna ſint eccleſia, & deinceps Eccleſia Biſuntina ab omnibus in perpetuum cenſeatur, vnúmque eccleſiæ ſic vnitæ ſit Capitulum, vnus Theſaurarius,

rius, vnum ſigillum, cuius ſint circumferentiæ, SIGILLVM ECCLESIÆ BISVNTINÆ, vnum officium eccleſiaſticum, illud videlicet, quod in prædictâ S. Ioãnis eccleſiâ hactenus exſtitit obſeruatum, vnus Decanus, vnus maior Archidiaconus, vnus Cantor, vnus Theſaurarius, vnus Scholaſticus: & cum iam dicto maiori, alij quatuor Archidiaconi, videlicet Salinenſis, Grayacenſis, Treuẽſis, & Luxouiẽſis: ita quòd de Vareſco, & de Palmâ, Maiori; de Ledone, de Montanis, Salinenſi; de Dolâ, de Anjoes, Grayacenſi; de Rubeomonte, & de Fauerniaco, Treuenſi; de Grangiis, & de Aioyâ Archidiaconatus, Luxouiẽſi, Archidiaconatibus, ipſo facto quã citò vacauerint ſint vniti. Decanus ſuperſtes Decano præmortuo ſuccedat in Decanatu dũtaxat, non in præbendis, ſeu Archidiaconatibus, quos nũc tenent Decani ſuperiùs nominati: ac ipſo facto Decanatus, qui primò vacauerit, alteri ſit vnitus. Et hoc idem de Theſaurariâ & Cantoriâ Eccleſiæ vtriuſque ſic vnitæ præcipimus obſeruari. Quicquid autem dictarum eccleſiarum acquiretur alteri, pro indiuiſo acquiratur, ipſarúmque priuilegia ad eccleſiam ſic vnitam in omnibus, & per omnia ſe exſtendant. Perſonis verò, & Canonicis viuentibus, nullum per hoc præiudicium generetur; quin quamdiù vixerint, dignitates, perſonatus, ſeu officia prædicta, quæ nunc tenent, licitè valeant retinere. Succentores quoque in dictis remaneant Eccleſiis, ad regendum choros Eccleſiæ ſic vnitæ, & præſentes in anniuerſariis, & diſtributionibus quotidianis, duplicem percipiant portionem. Statuimus quoque, & ordinamus quadragintaquinque Canonicorum, & præbendarum numerum, in Eccleſiâ ſic vnitâ dumtaxat, in perpetuum obſeruandum.

Canoni

Canonicis verò præbendas, quæ Obedientiæ appellantur, non integrè percipientibus, præbendæ quàm citò ſe facultas obtulerit, integrentur. Reliquis verò omninò exſpectantibus, præbendæ ſeu Obedientiæ cùm vacauerint, nullatenùs aſſignentur, ſed ſecundùm ordinem receptionis ſuæ, triginta librarum Stephanienſium penſio pro ſingulis præbendis ſeu obedientiis ſingulos contingentibus, ab vnito Capitulo annis ſingulis perſoluatur, præbendâ ſeu obedientiâ cuiuſlibet apud vnitum Capitulum remanente, donec dictæ quadragintaquinque præbendæ vacauerint, & ad manus vniti Capituli deuenerint: & tunc per vnitum Capitulum inter dictos quadragintaquinque Canonicos æqualiter diuidentur. Præterea domus, vineæ, reditus, & cætera bona dictarum Eccleſiarum, à quocumque & quocũque modo teneantur, quæ non ſunt de corpore præbendarũ, quæ vacant ad præſens, vel quàm citò per mortem eorum qui ea poſſident, vel ex donatione iam factâ poſſidere debent, ſeu alio modò vacauerint, ad vnitum Capitulum reuertantur: viuentibus tamen perſonis & Canonicis nullum per hoc præiudicium generetur, quin ea, quæ in præſentiarum rationabiliter poſſident, ad vitam ſuam licitè valeant retinere. Vltrà quoque ſtatutum numerum perſonarum, & Canonicorum, nullus recipiatur in Canonicum, & in Fratrem: nec dignitas, perſonatus, vel officium alicui conferantur, donec prædicta redacta fuerint ad numerum conſtitutum. Electio autem Archiepiſcopi cùm pro tempore fuerit celebranda, in capellâ S. Eugendi Eccleſiæ prædictæ ſancti Ioannis immediatè adhærenti, ab vnito Capitulo celebretur, ſicut hactenùs fuit ordinatum. Conſuetudines quoque ſuæ in omnibus, & per omnia in dictis

Eccleſiis obſeruentur: ordinatis tamen per nos ſuperiùs nihilominùs exceptis, & in firmitate ſuâ perpetuò duraturis. Ordinationem autem anniuerſariorum, & aliorum, de quibus non ordinamus ad præſens, diſpoſitioni & ordinationi dicti Capituli duximus relinquendam: interpretationem & declarationem quæſtionis & dubitationis, ſi qua ſuper prædictis, vel aliquo prædictorum orta fuerit, noſtro arbitrio reſeruantes, ac retinentes nobis poteſtatem faciendi recompenſationem Archiepiſcopo memorato, ſuper hoc, quòd Archidiaconatus vnimus ſupradictos. Vniuerſa verò & ſingula ſupradicta, in virtute præſtiti iuramenti, & ſub pænâ excommunicationis, quam ex nunc in ſcriptis, auctoritate quâ fungimur, in contradictores ferimus & rebelles, præcipimus inuiolabiliter obſeruari. Datum Bellicen. II, Kal. Octob. Pont. Innocentij P P. IIII. anno vndecimo.

Tranſactionem hanc ſigillo proprio firmauit *Vvilelmus Archiep.* ſequenti Nouembri eiuſdem anni
1253. 1253, poſtridie Beati Martini: quam idcirco hîc ad longum deſcripſimus, vt planior cuique eſſet Capituli Biſontini ſtatus: qui, quis hodiéque ſit, vt intelligas (eſt autem vix mutatus ab illo) habe ſequentem indicem, ex tabulis Eccleſiæ Biſontinæ.

Status Inſignis Eccleſiæ Metropolitanæ Biſontinæ.

REVERENDISSIMVS DOMINVS ARCHIEPISCOPVS.

Quatuor Dignitates.

Decanus Maior.

Archidia

Archidiaconus Maior.
Cantor Maior.
Theſaurarius.
Quatuor Perſonatus.
Archidiaconus Salinenſis.
Archidiac. de Fauerneio.
Archidiac. de Grayaco.
Archidiac. de Luxouio.
Camerarius Domini Archiepiſcopi.
Scholaſticus, olim præerat Scholis.

Canonici quadraginta tres. Erant olim 45, cùm vnitæ ſunt Eccleſiæ, ſed duæ prabendæ ex eo tempore vnitæ fuerunt Capitulo.

Succentores duo, cuique Eccleſiæ ſuus.

Capellani 24, ad nutum Dominorum Canonicorum, pro ſeruicio Eccleſiarum; In quorum numero comprehenduntur;
Recluſus, Pœnitentiarius Archiepiſcopi, in Monaſterio ſancti Michaëlis.
Matricularij duo.
Secretarij duo.
Curatus S. Andreæ.
Crucifer.

Magiſtri chorialium duo, cum pueris decem in duabus Eccleſiis: ſex in S. Ioannis; quatuor in S. Stephani.

Sequuntur Decani Rurales quindecim;

De Sextâ.	*De Fauerneio.*
De Salinis.	*De Luxouio.*
De Montanâ.	*De Ajoiâ.*
De Ledone Salnerij.	*De Grangiis.*

De Neublanco. *De Rubeo-*
De Dolâ. *monte.*
De Grayaco. *De Palmâ.*
De Treuâ. *De Vareſco.*

In hiſce Decanatibus ruralibus ſitæ ſunt Abbatiæ, Prioratus, & Parochiæ totius Diœceſis. In ſummâ, in Biſontinâ Diœceſi ſunt,

Abbatiæ XXVI.
Prioratus XCIV.
Parochiæ DCCLXXX.

Hìc verò obiter monendum; etſi eâ ſententiâ Hugonis Pontificij Legati, ſapienter definitum eſt, vt Canonici vtriuſque Eccleſiæ, ſedandæ illius contentionis ergò, vna eſſent congregatio, vnumque corpus, ſuáque officia, & beneficia, in vnum conferrent: tamen Eccleſiæ S. Ioannis, ſuam (quæ eripi nullâ ratione potuit) relictam eſſe antiquitatis prærogatiuam: quæ cùm aliquam maternitatis dignitatem inuehat (ſi de ipſius Eccleſiæ fundo loquamur;) non minùs certè nunc in illam, *Matris Eccleſiæ* nomen, ac dignitatem eo ſenſu quadrare exiſtimandum eſt, quàm antè latam de vtriuſque Eccleſiæ Canonicorum vnione ſententiam.

Per hæc tempora duo erant Veſontione *Incluſi*, vt cognoui ex teſtamento *Theobaldi* cuiuſdam Cantoris Eccleſiæ S. Magdalenes, qui anno 1254, *tribus Recluſis, Riuetæ, S. Stephani, & Bonæuallis*, certam pecuniæ ſummam legauit. Veſontione habebant duo priores: & quidem *Incluſi S. Stephani* domus, etiamnum

num adiacet Eccleſiæ *S. Michaëlis*, in monte ſancti Stephani: quæ *ſancti Michaëlis* Eccleſia ſanè peranti-qua eſt, & eius fundationem nullibi legi, etſi plurima inueni, & vetuſtiſſima illius monumenta; eiúſque dedicationem ſic in veteri rituum codice notatam: *III Kal. Octobr. Dedicatio Baſilicæ S. Michaelis.* Recluſus *Riuetæ* nullus ſupereſt, nec eius domus, quòd quidem ſciam; niſi eſt *Eremus S. Leonardi*, quæ non longè à ſuburbio *Riuetæ*: Pendet ea eremus, certè peramœna, à S. Vincentij Biſontini Abbate; ſed qui eam incolit, *incluſus* non eſt, quin ipſe ſibi ſtipem identidem emendicat, vnde victitet. Ad Guilelmum redeamus: Is Archiepiſcopium reædificauit, cuius foribus ſtatua eius appoſita viſitur, cum hac inſcriptione:

VVILERMVS ARCHIEPISCOPVS
QVI FECIT HOC PALATIVM.

Rebus demum bene geſtis, cùm per annos tres & viginti, Biſontinæ præfuiſſet Eccleſiæ, exceſſit anno 1268, 13 cal. Septembris: depoſitus eſt in capellâ S. Nicolai, quam ipſe fundauerat, in eccleſiâ S. Stephani, ſub æneo tumulo, hac epigraphâ: 1268.

Quondam præſedi Cabiloni, Chryſopolique,
Nunc cinis hîc, Sedi iaceo ſubtractus vtrique.
Chryſopolitanus Pater *hîc iacet æthere dignus,*
Cuius larga manus, cor nobile, ſermo benignus:
Euitans faſtus, pius, orans, corpore caſtus,
Moribus ornatus, regnet ſine fine beatus. Amen.

LXVII.

LXVII.

ODO.

GVILELMO ſuffectus eſt Odo *de Rubeomonte*, qui Sede Apoſtolicâ vacante confirmatus eſt à collegio Cardinalium, diplomate dato *Viterbij*, 5 Idus Febr. cui appenſa ſunt octodecim Cardinalium ſigilla. Frequens eius mentio in antiquis inſtrumentis; in quorum vno dato ad an-
1278. num 1278 (quod à ſe viſum me monuit *D. Claudius Robertus*, cuius ſuprà in Hugone primo, & inferiùs, in Quintino meminimus) *Eudo* appellatur: eâ chartâ Philippus *de Viennâ*, Dominus *de Pagny, & de Seurre*, de conſenſu Aleydis Dominæ *de Pouilly* matris, & Agnetis Burgundæ vxoris, & Hugonis primogeniti, donat ius Communiæ, & Maioritatis, mediante ſummâ 4000 librarum Viennenſium, præſente *Eudone* Archiep. Biſuntinenſi, & *Roberto* Duce Bur-
1269. gundiæ. Anno 1269, 17. cal. Nouemb. conuenit Odo Archiep. cum *Yuone* Abbate Cluniacenſi, ſuper electione Abbatum, & viſitatione monaſterij Balmenſis: ex diplomate relato in bibl. Clun. dato Belnæ, præſentibus *Henrico de Ceys Cantore Biſuntino, Richardo de Valgrenant Archidiacono de Luxouio, Scholaſtico Biſuntino*, & aliis. Odoni promiſit obedientiam Hen-
1280. ricus Baſileenſis Epiſcopus: ex chartâ anni 1280, datâ apud

apud *Inſulam ſuprà Dubium*, propè Abbatiam *Loci-creſcentis*.Sequenti verò *anno* 1281, *in craſtino Inuentionis* 1281.
S. Crucis, dominicâ tertiâ poſt Paſcha, dedicatum fuit maius altare eccleſiæ S. Magdalenes, cum altari S. *Michaëlis* (in eâdem eccleſiâ ſito) *per R. Patrem Odonem Arch. Biſuntinum*. M S. S. Magdal.

Anno 1301, reædificata eſt S. P. Q. Biſuntinum, capella S. Iacobi *in Arenis*, extrà muros ciuitatis, vbi olim ſub Romanis fuerat Amphiteatrum: *ex diario ciuicæ domus*: eodémque anno 1301, Odo Archiep. cu- 1301.
ratis per annos triginta tres Eccleſiæ ſuæ rebus, obiit 9. cal. Iulij: *ex necrologio* S. *Ioannis*: Iacet ante maius altare Eccleſiæ Bellæuallis, abſque epitaphio.

Ad æuum Odonis pertinet hocce epitaphium, quod apud Franciſcanos, Arcæ ſepulchrali perhonorificæ inſcriptum:

HIC IACET FRATER ELIAS, QVI OBIIT ANNO M. CC. LXXXV.

Eliam illum eſſe putant plerique, ſecundum Generalem Miniſtrum Ordinis Minorum, quem Gregorius IX officio abdicauit, quòd Friderico ſecundo Imp. ſchiſmatico adhæſiſſet; qui ex B. Franciſci prædictione, obiit extrà Ordinem, & *tandem in morte pœnitens* (ex libro, cui titulus, *Firmamenta trium Ordinum*, primâ parte, in memoriali Ordinis Minorum) *ſocium ad Papam miſit, & abſolutionem promeruit, & in Galliis in ciuitate Imperiali Biſuntinenſi, prouinciæ Burgundiæ, tunc Franciæ, in Conuentu fratrum Mi-*

norum, honorificè ſepultus fuit. Næ, longæuus fuerit Elias hic, ſi à Generalatu, dum adhuc S. Franciſcus viueret, ſuſcepto, ad vſque annum 1285, inter viuos perſtiterit: obiit quippe S. Franciſcus anno 1226: vide an duos potiùs fratres Elias ſuſpicere.

LXVIII.

HVGO V.

ODONI ſubſtitutus fuit Hugo *de Cabilone*,
filius Ioannis *de Cabilone* Comitis Burgũ-
diæ, ex Dominâ Laurâ *de Commerceyo*, quæ
ſepulta eſt in Salinenſi Franciſcanorum
templo. Is primùm à Bonifacio VIII inſtitutus
Epiſcopus Leodienſis (malè apud Goluſium *Lao-*
1296. *dicenſis*) anno 1296; ſex poſt annis, ab eodem in Ar-
chiepiſcopatum Veſontionenſem euectus eſt: at-
que inter alia, quæ vel prudenter, vel piè geſſit, Ec-
cleſiam *Belliprati*, altero aut tertio à ciuitate milliari,
loco amœniſſimo à ſe extructam, opimis prouenti-
bus dotauit, & egregiâ ornauit ſacrâ ſupellectile: è
1316. viuis autem exceſſit circà annum 1316, quo adhuc
Senatuſcõſulto cuidam ſubſcriptus legitur; vt nunc-
nunc, properante prælo, literis ſuis humaniſſimis
nos admonuit maximus ille Aruernorum Præſes,
Apollinaris ſui Genius, Io. Sauaro, qui iampridem,
vt Ruffus noſter, vidit ſcripta de ſe carmina, & in-
terfuit

terfuit poſteritati ſuæ. Quod verò ſuprà Guilelmo II tribuimus epitaphium, nõ defuêre qui Hugoni V poſitum crederent, deluſi verbis illis; *Quondam præſedi Cabiloni*: quaſi verò Hugonis familiam, & non potiùs Guilelmi Cabilonenſem Epiſcopatum deſignent.

LXIX.

VITALIS II.

VITALIS natione *Vaſco*, vir magnæ in rebus gerendis, tum auctoritatis, tum prudentiæ, Hugoni ſuffectus, ſacra oſſa *SS. Epiphanij, & Iſidori*, olim Veſontionem à Iuniore Theodoſio miſſa, anno 1320, cum nonnul- 1320.
lis oſſibus Sanctorum Innocentium perhonorificè collocauit in capsâ argenteâ benè graui, & affabrè elaboratâ; quam dono miſit *Ioanna* Regina Franciæ, filia *Othonis* Comitis Burgundiæ, *ex legendario S. Ioãnis 4 Augusti*; in quam diem transfertur officium de Sanctis *Epiphanio & Iſidoro*: cùm tamen ſacra eorum oſſa, Veſontione accepta ſint tertiâ Auguſti, vt ſuperiùs monuimus in Celidonio. Repoſita autem putamus in eâ capsâ, à Vitali Archiepiſcopo, *quinto nonas Octobris*; quâ die notatur in Martyrol. S. Ioannis, *Reuelatio S. Epiphanij & Iſidori in matrice eccleſiâ S. Ioannis Euangeliſtæ.* Vbique in Martyrologiis Biſon-

tinis *reuelationem* inuenias pro *releuatione*: an mendum eſt exſcribentium? an etiam *releuatio* Sanctorũ oſſium, quædam eorum *reuelatio* ac *manifeſtatio* eſt, dum ex obſcuriore loco in ornatiorem transferuntur?

1321. Sequenti anno 1321, Ioannes *de Corcondrayo*, Scholaſticus, & Canonicus Biſont. à duobus Græcis Epiſcopis, Auenione accepit interpretationem, quarumdam Græcarum vocum, antiquo charactere inſcriptarum, circa thecam, in quâ *S. Ioannis Calibitæ* venerandum Caput, in Biſontinâ S. Stephani eccleſiâ ſeruabatur: quo nomine Epiſcopi illi publicum inſtrumentum confecerunt Auenione, 17 Aprilis anno à Natiuitate 1321, Indict. 4, Pontifice Ioanne XXII. Ioannes ille *de Corcondrayo*, factus poſteà Decanus Biſontinus, obiit 22 Octobr. 1360: iacétque in ſacello S. Martini, (cuius ſacelli meminit Aimoin. lib. 5, c. 25,) in clauſtro eccleſiæ S. Stephani, tumulo conditus perhonorifico, multúmque à terrâ eminente.

1324. Anno 1324, nonis Auguſti, poſt veſperas, coram baſilicâ S. Ioannis, erupit ex veteri aquæductu pridem ſub terrâ deliteſcente, maxima aquarum copia; quod magnæ fuit ciuibus admirationi. *ex Martyrolog. S. Ioannis.*

1333. Obiit Vitalis, 6 cal. Sept. anno 1333: Iacet *apud Franciſcanos* ante maius altare: malè nonnulli, *apud Dominicanos.*

Eo verò Veſontinam regente Eccleſiam, Biſuntinus quidam Hugo, *de Biſuntio* dictus, Pariſienſem gerebat

gerebat Epiſcopatum : in quo inſtitutus cùm fuiſſet anno 1326, poſtridie octauarum Epiphaniæ, obiit 29 1326.
Iulij, anno 1332 ; *du Breul, in antiquit. Pariſiacis*; & pa- 1332.
triæ memor, certam pecuniæ ſummam, pro anniuerſario ſuo annuatim pendendam, eccleſiæ S. Ioannis aſſignauit. *M S. S. Ioannis.*

LXX.

HVGO VI.

VITALEM ſequutus eſt Hugo, illuſtri *Viennenſi* familiâ oriundus, ſed aliis humanis, diuiníſque ornamentis longè illuſtrior: cui diu & magnis perfunctо laboribus, grati ſuperſtites, in choro S. Stephani, ad ſiniſtram maioris Altaris, marmoreum egregio opere ſepulchrum excitarunt, hac inſcriptione:

HIC IACET VENERABILIS PATER
DOMINVS HVGO, DE VIENNA, QVONDAM
ARCHIEPISCOPVS, QVI BISVNTINAM
ECCLESIAM REXIT ANNIS XXII.
OBIIT AVTEM IIII. IDVS MAII,
ANNO DOMINI M. CCC. LV. 1355.

Eo verò ſedente, anno 1349, die ſextâ Martij, veſ- 1349.
pertinis horis, templum S. Stephani ictum eſt fulmine, atque exuſtum cum adiacentibus ædibus Canoni

nonicorum : cuius rei teſtis eſt ænea lamina vetus, quæ ad ianuam baſilicæ, ſic inſcripta:

Mille, C ter, quater X, poſteà tres numera ter,
Mart. ſextâ luce, veſpere iamque duce.
Tunc fuit eccleſia Sancti Protomartyris vſta,
Et nocuit cunctis Stephaniſtis fulminis ignis.

Quibus verſibus idem Gallicè ſic notatum ſubiicitur:

M. CCC. IX, & XL,
1349. *A veſpre le VI de Mars,*
Ceſte egliſe icy preſente,
Et tous les hoſtels furent ars.

Præteritis ſæculis, cùm ædificia plurima è ligno eſſent, frequentiſſima erant incendia: annis quippè 1448, multæ *montis Cælij* domus, & *Iuſſanum monaſterium*; 1452 *magnus vicus, Burgi vicus* & *Macellum*; 1460 *Vici S. Pauli* & *Carcerum*; 1488 *Vicus Clauſi*; 1510 *Vicus S. Vincentij* cũ Ædibus *Clariſſarum*; 1520 *Monaſterium Frãciſcanorum*; 1545 *Vicus Arenarum*; 1588 *vici Batualium* & *Campi Rotundi* conflagrarunt. Hinc iampridem Edicto Gubernatorum ſancitum eſt, vt quęcumque reſtaurarentur, aut de nouo excitarentur ædificia, ex quadrato lapide fierent; quod præter vtilitatem, maximam Ciuitati venuſtatem conciliauit.

LXXI.

LXXI.

JOANNES III.

IOANNES *de Viennâ*, Hugoni ſufficitur ipſo anno 1355, quo ſubſcriptus iam inuenitur Vincentiano cuidam inſtrumento. 1355.
Anno 1360, tempore Innocentij Papæ VI, 14 cal. Iulij, releuat Corpus *S. Antidij* Archiep. Biſontini, & Martyris; vtì fert, præter alia monumenta, antiquus lapis retrò altare maius Eccleſiæ ſanċti Pauli, qui ſic habet: 1360.

ANNO MILLENO, CENTVM TER, SEX VNA DENO,
CVM HIS IVNGENDIS IVLII TER QVINQVE KALENDIS,
ANTIDI FOSSA TOLLVNTVR DIGNIVS OSSA,
PONVNTVR CASSA, PER QVÆ SINT CRIMINA LASSA.

Illud *ter quinque*, verſus causâ poſitum putamus; cùm alioquin antiqui & optimæ notæ codices, in hoc omnes conueniāt, releuatum eſſe corpus S. Antidij, annò 1360. 14 cal. Iulij. Anno 1361, 12 Maij, Ioannes *de Viennâ*, in ſanċtâ Synodo obtulit ſuper altare ſanċti Ioannis, imaginem argenteam ad honorem 1361.

norem B. Ioannis Euangeliſtæ, ponderis X I marcarum, duabus vnciis minùs; *tabulæ ſancti Ioannis:* eodémque anno tranſlatus eſt ad *Metenſem* Epiſcopatum: & quinquennio pòſt, anno ſcilicet 1366, ad *Baſileenſem*; in quo obiit anno 1382, Bruntruti ſepultus. Vir fuit planè militaris & contentioſus, qui fori, atque armorum ſtrepitu, (quod in Epiſcopo mirêre) oblectari videretur: quæ bella cùm Baſileenſibus geſſerit, referunt Stumpffius, Vrſtiſius, & alij rerum Baſileenſium ſcriptores: quas mouerit Metenſibus lites, notat Chronicon Metenſe in *Auguſtâ Baſilicâ ſancti Arnulphi Metenſis*, per Andream Valaderium Gallico idiomate nuper editâ: in quo tamen Chronico illud emendandum, quòd Ioannes *de Viennâ*, ad Metenſem Epiſcopatum à Biſuntinenſi Archiepiſcopatu tranſlatus dicitur anno 1371; cùm id toto antè decennio factum conſtet, ex hac noſtrâ, & aliis Baſileenſium Epiſcoporum Chronologiis.

LXXII.
LVDOVICVS.

FILIVS fuit Henrici Comitis *Montiſbelicardi*, atque ex Decano Archiepiſcopus, nouem tantùm menſibus præfuit: conditus eſt in choro ſancti Stephani, ad dextram maioris altaris, ex oppoſito Hugonis de Viennâ, hac tumuli epigraphâ:

HIC

HIC IACET REVERENDVS PATER DOMINVS LVDOVICVS DE MONTEBELICARDO, QVONDAM ARCHIEPISCOPVS BISVNTINVS, QVI OBIIT VIII KAL. AVG. ANNO DOMINI 1362.
M. CCC. LXII.

LXXIII.

AYMO.

HIc illuſtri natus familiâ dominorum *de Villario-ſexel*, ex maiori Archidiacono factus Archiepiſcopus,eccleſiâ S. Stephani, quam ſub Hugone VI flammis vaſtatam vidimus, magnâ ex parte reſtituit. Iacet in eâdem baſilicâ, ante altare B. Virginis, prope ſacrarium, cum hoc epitaphio:

HIC IACET REVERENDVS PATER DOMINVS AYMO DE VILLARIO QVONDAM ARCHIEPISCOPVS BISVNTINVS, QVI OBIIT IV IDVS DEC. ANNO DOMINI M. CCC. LXX. DEVS 1370.
SIT EI PROPITIVS, AMEN.

LXXIV.

GVILELMVS III.

FVIT iſte ex Illuſtriſſimâ, & antiquiſſimâ *Vergeyorum* gente; è quâ *Manaſſes* ille Comes Burgundiæ (cuius meminit Vignierus in Chronico Burgund. anno 924.) fundator Monaſterij Vergiacenſis, cui à *S. Viuentio* nomen: *Philippum* Ducem & Comitem Burgundiæ, vinculis ſacris obſtrinxit, quòd contrà iura vetera ciuitatis Biſontinæ, monetam cudi faceret apud *Axonam*: ob id Dux *Audax* audacter eum tunc Giaci commorantem obſedit; cuius furori, de ſuorum conſilio, ſimul ceſſit, & Archiepiſcopatui, factus Cardinalis: de eo ſic
1391. Ciacon. in Clemente VII Antipapâ: *Anno Domini 1391. Pont, 13. XVII. Kal. Maij, Auenione, Clemens VII vnum creauit Anticardinalem: Is fuit Guilielmus de Vergeyo, Gallus, Archiepiſcopus Biſuntinus, Anticardinalis presb. tt. S. Cæciliæ. Obiit anno* 1407. Ea erat turbulentiſſimæ illius tempeſtatis conditio, quæ vix legitimum à ſpurio, probatum ab adulterino ſecerni pateretur: vt vitio vertendum non ſit Guilielmo, quòd Clementi Pſeudopontifici, bonâ fide adhæſerit; à quo alioquin eumdem Cardinalatus honorem accepit Thaumaturgus ille Petrus *de Luxemburgo*, de cuius non modò fidei integritate, ſed & ſanctitudine eximiâ nemo ſapiens dubitauerit.

LXXV.

LXXV.

GIRARDVS II.

GIRARDVS *d'Athies*, nobili apud Picardos, familiâ oriundus, abdicatum à Guilielmo Archiepiſcopatum ſuſcepit: cuius ineunte Præſulatu, Biſontinum *Carmelitarum Conuentũ* fundauit anno 1392, Ioannes *de Viennâ*, Eques, Dominus *de* 1392.
Rolans, Admirallius Franciæ, & Ioanna *d'Oyſelet* eius vxor, regnante Carolo VI, Galliarum Rege; *ex diplomate dato Pariſiis*, 1392. Sodalitatem ſeu confratriam Corporis Chriſti, in parochiali Eccleſiâ S. Petri inſtitutam confirmauit dato diplomate ad quartam diem Nouẽbris, anni 1399. Anno 1403, fundauit 1399
horas B. Virginis, in Eccleſiis S. Ioannis, & S. Stephani; 1403
ex Calendario S. Ioannis: alia plurima reliquit ſuæ virtutis monumenta, quæ breuitatis ſtudio omittimus: Anno verò 1404, obiit Pariſiis, 22 Nouembris: 1404.
eius corpus ſepultum eſt in Eccleſiâ S. Eligij, *Nouiomi*, vbi fuerat Monachus Benedictinus; cor autẽ (prout adhuc viuens præceperat) Veſontionem delatum, & in choro S. Stephani, ſub inſigni monumento reconditum, à parte dextrâ maioris altaris, infrà Ludouicum *de Montebelicardo*, cum hac inſcriptione:

HIC REQVIESCIT COR REVERENDI IN CHRISTO PATRIS, ET DOMINI D. GERARDI D'ATHIES QVONDAM ARCHIEPISCOPI BISVNTINI, QVI OBIIT PARISIIS, XXII DIE MENSIS NOV. ANNO DOMINI M. CCCC. IIII. ORATE PRO EO.

LXXVI.

THEOBALDVS.

THEOBALDVS *de Rubeomonte*, Epiſcopus erat *Matiſconenſis*, annis 1390, & 1393, vt notat D. Seuertius in Chronologiâ: *Viennenſis* verò Archipræſul, anno 1399, ex Ioanne à Boſco, ad calcem bibl. Floriacenſis: deniquè Biſuntinus poſt Gerardum II.

Adiiſſe fertur aliquando terram ſanctam, & redemptionis noſtræ monumenta, ac Redemptoris veſtigia adoraſſe: Sed & pro ſuâ in Beatiſſimam Dei matrem Virginem pietate, ſacram illi propè *Gyacum* excitauit ædiculam, quam dicunt *Dominam noſtram de Fonte*; vulgus *Noſtre Dame de leſſont* vocitat. Cúmque annis circiter 25, Biſontinæ præfuiſſet Eccleſiæ,
1429. obiit Romæ 16 Septemb. anno 1429; depoſitus eſt in baſilicâ Principis Apoſtolorũ, in ſacello S. Thomæ.

Eo

Eo verò ſedente, vidit Veſontio, magno ſuo, & rei Chriſtianæ bono, duo illius ætatis lumina, *B. Coletam* Ordinis S. Claræ reſtitutricem, & *S. Vincentium Ferrarium.* Coletam (cui patria fuit Picardiæ vrbs *Corbeia*) in S. Claræ familiam adſcitam, prima excepit Biſontina Clariſſarum domus, quam Tranſalpinarum omnium antiquiſſimam fuiſſe ferunt: in eâ verſari cœpit circiter annum Domini 1410, ex 1410.
eâque, vt è capite reſtituti Ordinis, aliis monaſteriis, vel de nouo erigendis, vel ad priſtinam Inſtituti puritatem reuocandis prouidebat, de conſilio F. Hẽrici *de Balmâ* confeſſarij ſui, viri ſanctitate vitæ commendabilis, cuius oſſa in dictâ Clariſſarum Domo piè aſſeruantur. Vitam B. Coletæ bene longam conſcripſit *Stephanus Iuliacus*, quam refert Surius, 6 Martij.

At verò Apoſtolicus ille *Vincentius* Ordinis prædicatorum, nobili apud Valentiam Hiſpanorum *Ferrariâ* familiâ natus, qui Europam prope vniuerſam doctrinæ euangelicæ prædicatione compleuerat, 4 Iulij, horis veſpertinis, vacante Apoſtolicâ Sede, & Synodo apud Conſtantiam congregatâ, anno 1417, 1417.
paucis antequàm ad cœlos euolaret menſibus (obiit quippe anno 1418, 5 Aprilis) Veſontionem ingreſſus eſt, magno diſcipulorum comitatu. Quotidie manè, in plateâ, quæ inter ædem S. Petri, & domum Ciuicam interiacet, altari ad id compoſito, ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium offerebat; de quâ eius conſuetudine vide S. Antoninum 3 parte tit. 23, cap.

8,§.4: Miſſam excipiebat oratio ad populũ,de Deo, diuiníſque rebus; ſed ea adeò potens, atque efficax, vt mirabiles in audientium animis excitaret motus. Eius cathedra, concionum μνημόσυνον, in Dominicanorum cœnobio hodiéque aſſeruatur: *Brachium* verò iam defuncti, & in Sanctorum canonem auctoritate Apoſtolicâ relati, Veſontionem delatum eſt, & habetur in baſilicâ S.Mariæ Magdalenes,cum reliquiis *Sanctæ Magdalenes, S. Ioannis Baptiſtæ, S.Chriſtophori, S. Sigiſmundi Regis, S. Laurentij, S. Theobaldi, S. Yuonis*, S. *Sebaſtiani*,S.*Blaſij*,& aliis quamplurimis.

LXXVII.

IOANNES IV.

IOANNES â natali ſolo dictus *de Rupeſciſſ.i* (viculus eſt, qui duobus circiter milliariis abeſt à Lugduno) cognomẽto *Rothomagenſis*,à Rothomagẽſi,quod geſſit Archiepiſcopatu;in eccleſiâ Lugdunẽſi à puero educatus, ſuam illi operã pueri ſymphoniaci nomine multis annis præſtitit:inde,vt erat acerrimo ingenio,ad ſtudia literarũ applicitus,tantos in eis profectus fecit, vt aliquot poſt annis, vtriuſque Iuris Doctoratum ſit conſequutus.Conſtitutus deinde Officialis Rothomagenſis, ad Epiſcopatũm *S.Pauli*,& Patriarchatum Aquilegienſem promotus eſt in Concilio Conſtantienſi; quod

quod anno 1414, Nonis Nouembribus inchoatum, anno verò 1418, calendis Maij diſſolutum eſt: poſteà à Martino tertio (*quintum* vulgò appellant) qui Sedem Romanam tenuit ab anno 1417, ad 1431, tranſlatus eſt ad eccleſiam Gebennenſem; inde, non multò poſt, ad Pariſienſem, cui cùm præeſſet, conſecrauit Lutetiæ, anno 1424, 4 Mart. eccleſiam parochialem S. Petri *des Aſſis*; *du Breul in antiq. Pariſiacis*: à Pariſienſi ſubinde ad Metropolitanam Rothomagenſem ab eodem euectus eſt. Ineunte verò anno 1426, Pontificatus Martini V nono, S. R. E. Vicecancellarius conſtitutus eſt; & eodem anno 9 cal. Iulij, Romæ creatus eſt preſb. Card. tt. S. Laurentij in Lucinâ; quod vtrumque munus ad mortem vſque geſſit: Ciaconius in Martino V, eum prætereà *Correctorem literarum Apoſtolicarum*, & *Patriarcham Conſtantinopolitanum* appellat. Igitur Theobaldo, anno 1429, 1429.
Romæ defuncto, poſtulatus eſt à Capitulo Biſuntino in Paſtorem *Ioannes*, tot clarus dignitatibus, tot perfunctus officiis: annuit Martinus V, & electum confirmauit in Archiepiſcopatu Biſuntino; quem cùm annis fermè octo tenuiſſet, obiit 9 cal. April. 1437.
anno 1437 (malè nonnulli eius obitum referunt in annum 1436, & alij in 1438.) Ciaconius in Eugenio I V, dicit mortuum Bononiæ in Legatione, ibíque ſepultum: vetuſti Biſontini codices, conditum referunt in eccleſiâ Lugdunenſi, ſub humili ſaxo: at diſtinctiùs liber anniuerſariorum S. Stephani, notat eum obiiſſe Bononiæ in Italiâ, Dominicâ in Ramis, ſepul

ſepultum verò in choro eccleſiæ Lugdunenſis (habent quidam codices, *in naui.*) Biennio ante mortem, anno 1435, Indict. 13, Pontif. Eugenij IV, anno quinto, die 13 Septemb. conuenerat cum Capitulo Biſont. ſuper celebratione quatuor anniuerſariorum ſuorum. *Calendar. S. Ioannis.* Longas cum ciuibus Biſontinis exercuit lites, cum quibus certis demùm conditionibus tranſegit, tractatúmque iniit, qui vulgò dicitur *Rothomagenſis.*

1435 Eo ſedente, Anno 1435, Iacobus Borbonius, Neapolis & Siciliæ Rex, Veſontione factus eſt Franciſcanus; ex Oliuerio *de la Marche*, moniment. cap. 1: ſepultus eſt in Eccleſia Clariſſarum, in Sacello quod vulgò vocant, *la chapelle du Roy Iacques*, cum hoc Epitaphio:

Cy giſt Iacques de Bourbon, tres-haut Prince & excellent, De Hongrie, Hieruſalem, & Sicile, Roy Tres-puiſſant, Comte de la Marche, de Caſtre, & Seigneur d'autres pays, qui pour l'amour de Dieu laiſſa freres, parens, & amys, & par deuotion entra en l'Ordre de S. François, lequel treſpaſ-
1438 *ſa le XXIII iour de l'an M CCCC XXXVIII: Priez pour ſon ame deuotement.*

Regius huius Sacelli Capellanus nunc eſt D. Philippus Chiffletius, Patruus meus, in quo, pro ſalute animæ dicti Regis, ſacroſancta Regi æterno non deſinit offerre ſacrificia.

LXXVIII.

LXXVIII.

FRANCISCVS I.

FRANCISCVS *Condelmerius*, patriâ Venetus, Eugenij IV nepos, eius ſcilicet fratris filius, Protonotarius Apoſtolicus, & Vicecamerarius, ab eodē Eugenio, Romæ creatus preſb. Card. tt. S. Cæciliæ, anno 1431. Pontif. 1. 13. cal. Octobris; ac ſubinde tt. S. Clementis, & S. R. E. Camerarius (nam eodem anno 1431, pridie idus Nouembris, iam ſubſcriptus legitur, *tt. S. Clementis*, in bullâ quadam Eugenij IV, quæ refertur in actis Concilij Baſileenſis): mortuo Ioanne *de Rupeſciſſâ*, duplicem eius dignitatem adeptus eſt, factus poſt eum, S. R. E. Vicecancellarius, & Biſuntinus Archiepiſcopus conſtitutus ab Eugenio IV. Sed cum Cânonici Biſuntini, Decanum ſuum Ioannem *de Fruyno*, in Archiepiſcopum elegiſſent (elegerant verò anno 1437, 24 Aprilis) mira omnium rerum fuit 1437. perturbatio, dum duobus Officialibus ab vtroque conſtitutis, anathemate vtrinque certatur, & quod ſtringit alter, alter ſoluit: nonnihil in eo tumultu geſtum refert MS. codex S. Magdalenes, his verbis: *Anno à Natiuitate Domini 1438, more Romanæ Curiæ ſumpto, die Iouis ſanctâ, quæ fuit 10 menſis Aprilis, indictione primâ, Pontificatus Sanctiſſimi in Christo Patris, &*

Domini noſtri Eugenij, diuinâ prouidentiâ Papæ quarti, anno eius octauo; in Eccleſiâ collegiatâ, & parochiali B. Mariæ Magdalenes Biſunt. de licentiâ & auctoritate Reuerendi in Christo Patris, & D. Domini Franciſci, miſeratione diuinâ tt. S. Clementis, S.R.E. preſbyteri, Cardinalis Venetiarum communiter nuncupati, Domini D. noſtri Papæ Camerarij, & Archiepiſcopi Biſuntini, Reuerendus Pater D. Petrus Epiſcopus Capuanenſis, Ordinis S. Auguſtini, fecit officium, & cõſecrauit ſanctum Chriſma, Oleum ſanctum, & oleum infirmorum: quæ vnctiones remanſerunt in ſacrario dictæ Eccleſiæ Magdalenes, penes Matricularium eiuſdem Eccleſiæ: & in eadem Eccleſiâ baptiſabantur pueri per totam hebdomadam poſt Paſcha: quod officium non fuit factum in Eccleſiâ cathedrali S. Ioan. Euang. prout conſuetum erat, obſtante proceſſu, lite, & controuerſiâ motis & exiſtentibus, inter prædictum R. Patrem Dominum Cardinalem, & Venerabilem, virum Dominum Ioannem de Fruyno, preſbyterum, Decanum Biſuntinum, & huius eccleſiæ Canonicum, ſe dicentem electum, & confirmatum Archiepiſcopum Biſuntinum per Concilium Baſileenſe: quod Concilium fuit auctoritate Apoſtolicâ, à ciuitate Baſileenſi ad ciuitatem Ferrarienſem tranſlatum, de, & ſuper Archiepiſcopatu Biſuntino prædicto. Acta fuerunt hæc, anno, die, loco, indictione, & Pontificatu quibus ſuprà, Regnante Carolo Rege Franciæ, Philippo Duce Burgundiæ, ac etiam Sigiſmundo Imperatore nouiter defuncto, Ducéque Alberto Imperatore electo. Huic ſedandæ procellæ, ita demùm tranſactum eſt, vt certâ penſione Ioanni *de Fruino* aſſignatâ, Franciſcus ad Veronenſem Eccleſiam tranſiret,

&

& à Viennenſi ad Biſuntinam Ioannes *de Norry*, de quo poſt paululum. Franciſcus deinde Veronenſis Epiſcopus, ex presbytero Card. tt. S. Clementis, creatus eſt ab Eugenio, Card. Epiſcopus Portuenſis, & S. Rufinæ: quod factum puto anno 1446, quo anno Henricus *de S. Alloſio*, titulum S. Clementis accepit. Obiit denique Romæ, anno 1453, nonis Septembris, ſepultus apud S. Petrum in Vaticano. *Ciacon. in Eugenio IV, & Nicolao V.* At Ioannes *de Fruyno*, quinque poſt annis vitâ functus, nempe anno 1458, 14. Sept. conditus eſt in naui Baſilicæ S. Stephani, hoc Epitaphio: *Hic iacet Venerandus Pater, & Dominus Magiſter Ioannes de Fruyno, de Poligniaco, in legibus Licentiatus, Decanus & Canonicus, Electúſque concorditer Eccleſiæ Biſuntinæ; ac eccleſiarum, Tornacenſis, Capellæ Ducis Burgundiæ de Diuione, S. Anatolij, & S. Michaëlis de Salinis Canonicus, ipſius Domini Ducis Conſiliarius, qui obiit anno M. CCCC. LVIII. XIV. Sept.*

LXXIX.

JOANNES V.

IOANNES *de Norry*, ab Eugenio IV, à Viennenſi Sede ad Biſuntinam tranſlatus, per procuratores ſuos receptus eſt in ædibus Archiepiſcopalibus, à Gubernatoribus ciuitatis, anno 1438, 17 Aprilis: cùm autem 1438.

ipſe Gyacum primò veniſſet, ibíque interquieſcens (vt erat affectæ iam ætatis) ſolemnem ſuum in ciuitatem ingreſſum cogitaret, contracto morbo exceſſit è vitâ. Eius corpus Gyaci conditum eſt, ante altare S. Symphoriani.

1438. Anno 1438, 18 Iunij, Capitulum Biſontinum ratam habuit vnionem Hoſpitalis *S. Brigidæ*, factam *Cantoriæ* Biſuntinæ: ex actis Capituli; in quibus actis, 7 Decemb. 1530, dicitur fundatio illius domus nullibi reperiri: atque idipſum innuit vetuſtus, & anno 1363, conſcriptus codex, in quo hæc habentur: *De inſtitutione, ſeu fundatione domus S. Brigidæ, referunt antiqui, quòd fuit fundata, & inſtituta antiquitùs ab eccleſiâ Biſuntinâ S. Ioannis, per Dominos Canonicos tunc exiſtentes; non tamen pro Hoſpitali communi, vel tanquam Hoſpitale; ſed ſolùm vt ibi ſuſtentarentur pauperes familiares ipſius eccleſiæ, antiqui, infirmi, & impotentes propter ſenium, vel infirmitatem, ibidem Deo famulaturi vſque ad obitum ſuum:* ſubdit deinde; *proceſſu temporis factum, vt alij quoque pauperes reciperentur:* tum aliquot Rectorum illius Xenodochij nomina recenſet, *Andreæ, Guidonis, Columbeti, Badeti Officialis Biſuntini, Simonis de Cromary*, &c. ſed ea Rectoris dignitas, vnita eſt Officio Cantoris, anno prænotato: nec ſupereſt ampliùs Xenodochium illud; ſicut nec quod iuxtà S. Antonij eccleſiam olim extabat; cùm tamen alia non deſint in tam piâ ciuitate, nempe, *S. Spiritus* Xenodochium, pro infantibus, à ciuibus Biſontinis erectum circa annum 1200: & *S. Iacobi in arenis* intra

ciuita

ciuitatem, paulò poſt, curandis ægris, atque excipiendis ex itinere peregrinis deſtinatum.

Porrò ſuper altare S.Brigittæ, aſſeruatur eiuſdem Beatæ fœminæ baculus quidam, quem clinicæ noſtræ, puerperis auxiliari credunt.

LXXX.

QVINTINVS.

QVINTINVS *de Flauigneyo*, Eduenſis diœceſis, cognomento *Menart* (vt me monuit, ex Necrologio S. Capellæ Diuionenſis, *D. Claudius Robertus* Lingonenſis presbyter, egregiâ pietate, doctrináque vir) Canonicus & Theſaurarius S. Capellæ Diuionenſis, Præpoſitus *S. Audomari* apud Belgas, *Philippi* Ducis & Comitis Burgundię à ſecretis, atque ab eodem ter ad Martinum V, ſemel ad Eugeniū IV, itémque ad Nicolaū V, ad alios verò Franciæ, Angliæ, & Alemánię Reges ac Principes ſæpiſſimè, pro grauiſſimis negotiis miſſus Legatus: ex Epiſcopo Atrebatenſi, Archiepiſcopus Biſuntinus conſtitutus eſt anno ſalutis 1439. Canonicos in patrio ſuo ſolo *Flauigneio*, apud S. Geneſium inſtituit, & annuis dotauit prouentibus: organa nobiliſſima curauit in eccleſiis Biſuntinis S.Ioannis, & S. Stephani; quibus eccleſiis pretioſiſſimas veſtes ſacras, aliáque ornamenta contulit: domos Archie- 1349.

piſcopales quamplurimas, vel labantes reſtituit, vel ab imo erexit: annis demùm viginti duobus, & eo ampliùs in Archiepiſcopatu exactis, obiit Gyaci
1462. propè octogenarius, anno 1462, 18 Decembris: eius corpus Veſontionem delatum, & in choro S. Stephani ad ſiniſtram maioris altaris ſepultum ſplendido monumento, cui hæc inſcripta ſunt:

HIC IACET REVERENDÆ MEMORIÆ REVERENDISSIMVS IN CHRISTO PATER, ET DOMINVS D. QVINTINVS ARCHIEPISCOPVS BISVNTINENSIS, QVI OBIIT DIE XVIII MENSIS DEC. M. CCCC. LXII.

Miram vitium feracitatem notant Biſuntina Chronica anno 1448, vt condendis vinis non ſuppeterent vaſa: & anno 1456, 15 Octobris, inauditam aquarum eluuionem.

LXXXI.

CAROLVS.

CAROLVS *de Nouocaſtro*, filius illuſtriſſimi Ioannis *de Nouocaſtro*, primùm Epiſcopus *Baiocenſis*, deinde anno 1462, pridie calendas Ianuarij, decimotertio die ab obitu Quintini, à Capitulo Biſuntino in Archiepiſcopum electus

electus eſt, cùm annos natus eſſet vnum non am-
pliùs ſuprà viginti. Sequenti anno 1463, ſextâ die 1463.
Maij, pater eius *Ioannes* Veſontionem venit, poſſeſ-
ſionem Archiepiſcopatus, filij nomine initurus: ac
paulò poſt, die decimâ Iulij, eiuſdem anni, Carolus
ipſe, magnâ vel illuſtrium è Burgundiâ ac Germa-
niâ virorum, qui in eius comitatu; vel Biſontino-
rum obuiam prodeuntium pompâ, Veſontione ex-
ceptus eſt. Vetus palatium à Quintino reædificari
cœptum perfecit; & ſuæ diœceſeos breuiarium, in
meliorem ordinem digeſſit: fuit primus Abbas
commendatarius S. Pauli Biſuntini, cùm anteà Ab-
bates ex eâ Benedictinâ familiâ, ſeu potiùs Auguſti-
nianâ, præfici ſolerent. Anno verò 1498, octaua 1498.
Auguſti, Veſontione adfuere nuntij, qui de obitu
Caroli Archiepiſcopi, in partibus Normanniæ de-
functi, admonerent: obierat ille, vt notatur in ne-
crologio S. Pauli, 13 cal. auguſti, poſtquam præfuiſ-
ſet annos 36. Vacante Sede, Pontificalia per totam
diœceſim exercuit ex decreto Capituli, R. Domi-
nus Epiſcopus *Thibeuadenſis*, Suffraganeus Biſunti-
nus. Anno 1481, obierat Veſontione R. D. Iacobus
Claræ-Vallis Epiſcopus *Ebroicenſis*, ſepultus in angu-
lo ſacelli S. Agapiti, in Eccleſiâ S. Stephani.

LXXXII.

LXXXII.

FRANCISCVS II.

VT primùm de *Caroli* obitu accepit Maximilianus Rex Romanorum, ſequenti Auguſto ad Canonicos Biſuntinos literas dedit, quibus rogabat, vt Petrum *Bontemps* Protonotarium Apoſtolicum, Carolo ſufficerent: ſed cùm mutato conſilio idem Maximilianus Franciſcum *de Buſleyden*, in Archiepiſcopum eligi poſtulaſſet, & acceſſiſſent *Philippi* Archiducis Auſtriæ, Maximiliani filij commendatitiæ, in eum
1498. cõſenſere electores, die 12 Octob. anni 1498. Is patriâ Luxemburgenſis, patre natus Ægidio *de Buſleyden*, Equite Aurato, & *Philippi Boni* Burgundiæ Ducis à conſiliis, cùm eſſet præpollentis ingenij vir, & ſummæ eruditionis, Philippo ex Mariâ Burgundâ Maximiliani Imp. filio magiſter datus, eam familiam, variis hàc illàc feliciſſimè gerendis rebus, plurimùm ſibi deuinxit: quam ob rem ad *S. Lamberti* Leodienſis, ac *S. Donatiani* Brugenſis Præpoſituras, aliáſque dignitates euectus: vacante demùm Biſuntinâ Sede, (vti dictum eſt) Cæſaris, & *Philippi* Archiducis rogatu, ad eam abſens (cùm in Belgio ageret) electus eſt; in eáque ab *Alexandro VI* confirmatus, ciuitatem feſto omnium ordinum occurſu, & gratulatione

ne ingreſſus eſt, non ante diem 16 Nouembris, anni inſequentis 1499. Tanti fuiſſe dicitur apud *Philippum* 1499.
Archiducem, adultæ etiam ætatis, vt in rebus quibuſque grauiſſimis eo inconſulto nihil vnquam decerneret. In aliis, quæ præclarè geſſit Franciſcus, illud cenſeri ſolet, quod Louanij *Collegium trilingue* inſtituit, & illud quidem (addit Petr. Nannius, miſcell.lib.5,cap.3.) quo nullum poſt hominum memoriâ extiterat in orbe Chriſtiano prius. In quamplurimis prætereà, tum Belgij, tum ſuæ diœceſis Eccleſiis, diuina officia quotannis recurrentia inſtituit, magnis in eam rem collatis prouentibus. Cúmque anno 1501, Philippo vnà cum vxore Ioánnâ Fer- 1501.
dinandi Catholici Regis & Elizabethæ filiâ, in Hiſpaniam per Gallias & Pariſios (vbi à Franco Rege honorificentiſſimè exceptus eſt) iter facienti comes acceſſiſſet, ibíque arduis diſtentus rebus, ageret menſes aliquot, deſignatus eſt ab *Alexandro VI* Cardinalis, ab eóque illi Cameracenſis Eccleſia per id tempus vacans, in commendam data: ſed paucos poſt dies febre correptus, huic honori ſimul & vitæ ceſſit, euocatus ad cœlitum tergeminos honores, quos ſua illi virtus, & pietas pepererat. Obiit Toleti, 10. cal.Sept.anno 1502: corpus ſuum in cœnobio Di- 1502.
ui Bernardi propè Toletum ſepeliri voluit: cor verò, ad ſponſam ſuam Biſuntinam Eccleſiam deferri: quod aromatibus conditum eſt, conditúmque perhonorificè in Biſuntinenſi Protomártyris Baſilicâ, in ſacello S. Agapiti, *veteri Archiepiſcoporum cœmeterio:*

ſic enim ab antiquo appellatum illud ſacellum, frequenter in S. Stephani codicibus reperies; ex quo exiſtimes velim, pleróſque omnes Archiepiſcopos, quorum ſepulturæ locum non indicauimus, in eâ *S. Agapiti capellâ, communi Archiepiſcoporum ſepulchro* depoſitos.

LXXXIII.

ANTONIVS I.

FRANCISCO vitâ functo, electus eſt eo-
1502. dem anno 1502, decimâ die Octobris, Antonius *de Vergeyo* (è familiâ Guilelmi III,) annum agens ætatis decimumquartum: qui dum
1508. eruditur Dolæ (vbi anno 1508, 9 Februarij, primarium lapidem maioris eccleſiæ *B. Virginis* poſuit ritu ſolemni: *Goluſ. lib. 2, cap.* 49:) fuit interim adminiſtratio Archiepiſcopatus penes Decanum & Capitulum; donec Antonius, cùm annum attigiſſet ætatis vigeſimum quintum, ciuitatem Biſuntinam ma-
1513. gnâ pompâ, anno 1513, 27 Auguſti ingreſſus, ſuo Archiepiſcopi munere fungi ipſe cœpit.

Deinde Carolo V Imperatori, cùm adhuc tenerioris eſſet ætatis, datus eſt moderator, qui eius mores ad Chriſtianam pietatem, & virtutes regias formaret. Ei verò Coadiutorem addidit in Archiepiſcopatu Biſuntino, Petrum *à Baumâ* Gebennenſem

Epiſco

Epiſcopum Clemens VII, datis in eam rem literis Bononiæ, 12 cal. Febr. anno Domini 1529, Pontif. 7: 1529.
quas literas Apoſtolicas, Ludouicus *de Rye*, Abbas monaſterij *Albæripæ*, ord. Ciſtert. & diœceſis Lingonenſis, exhibuit in Capitulo Biſontino, die 17 Decemb. anni 1532, & nomine Petri *à Baumâ*, Coadiu- 1532.
toriæ poſſeſſionem accepit ritu conſueto.

Anno 1539, die Lunæ poſt feſtum Reſurrectionis 1539.
Dominicæ, in eccleſiâ Metropolitanâ S. Ioannis Euang. Biſunt. Gubernatoribus ciuitatis, & maximâ cleri ac populi multitudine ibidem congregatis, R. Domino Franc. *Symard* Epiſcopo Nicopolitano & Suffraganeo Biſuntino Miſſam celebrante, poſt offertorium facta eſt, magnâ ſuauitate vocum, & totius officij majeſtate, tranſlatio ſacrarum reliquiarum SS. Martyrum, *Ferreoli* & *Ferrucij*, de vetere in nouam capſam, per manus Domini Archiepiſcopi Antonij *de Vergeyos ex actis Capituli Biſuntini*. Eam capſam ex argento, vel mole, vel operis elegantiâ præcipuam, Gubernatores, & Canonici Biſuntini conflari curauerunt, vt notatur in actis Capituli, annis 1518, & 1525.

Sed vt ad Antonium redeamus; tantæ fuit commiſerationis in ægros, eos maximè quibus anguſta domi res erat, vt non modò ſuis ſumptibus adſciſcere ſoleret qui opem ferrent, ſed ipſe etiam perſæpe ad eorum ſe miniſteria abiiceret: tantæ in egentes, ac tam profuſæ liberalitatis, vt ipſi (quod illuſtre ſit teſtimonium) apud omnes, *Boni*, & *Patris*

pauperum cognomentum pepererit: dignum ſanè pio Præſule, quódque longè in illum, quàm in *Traianum* aptiùs quadret elogium; quippe qui id cùm gereret Paſtoritij muneris, bonus eſſe magis, quàm haberi vellet. Ei, cùm annis propemodùm quadraginta, maximæ tum claritati ſanguinis, tum dignitati, maiora virtutum ornamenta copulaſſet, vitâ functo, & in baſilicâ S. Stephani ſepulto, ſepulchralis hæc epigrapha poſita eſt:

GENEROSORVM ET PAVPERVM REMEDIVM QVI FVERAT PRÆSENTISSIMVM HAC TEGITVR VRNA.

REVERENDISSIMI IN CHRISTO PATRIS AC DOMINI D. ANTONII DE VERGEIO QVONDAM ARCHIEPISCOPI BISVNTINI DEPOSITVM, QVI OB-
1541. IIT XXIX DEC. M. D. XLI.

Atque vt videas, fuiſſe hanc in pauperes pietatem in eum hæreditario quaſi iure transfuſam, accipe vnius ex ipſius Maioribus *Theoloci* ſepulti epitaphium:

Cy giſt Henry de Vergey, Cheualier, Sieur de Fouvens, & Seneſchal de Bourgongne, appellé pere des pauures, qui treſpaſſa l'an M. CCC. XXX.

Hoc eſt: *Hîc iacet Henricus de Vergeyo, Eques, Dominus de Fouuens, & Seneſchallus Burgundiæ, dictus Pater pauperum, qui obiit anno* 1330.

Porrò

Porrò Antonio tres fuêre Suffraganei ; D. Ioannes *d'Anuers*, Epiſcopus *Salonenſis*, & Canonicus Biſuntinus, qui obiit 23 Nouembris, 1523 : Petrus *Taſſard* Ord. Prædicatorum, Epiſc. *Chriſpolitanus*, qui obiit anno 1533 : & Franciſcus *Symard*, Doctor Pariſienſis, Canonicus Biſuntinus, & Epiſcopus Nicopolitanus, qui è viuis exceſſit anno Chriſti 1554.

Antonio ſedente D. *Ferricus Carondeletus* ſplendidiſſimum in eccleſiâ S. Stephani ſacellum conſtruxit, è quo aſcenditur ad Theatrum S. Sindonis, in quo poſteà eius oſſa condita ſunt marmoreo monumento, cum hoc epitaphio:

D. Ferrico Carondeleto Archidiacono maiori Eccleſiæ Archiepiſcopalis Biſunt. Abbati Commendatario B. Mariæ Montis Benedicti in Comitatu Burgundiæ : Præpoſito Furnen. apud Flandros : Caroli V Imp. P. F. Aug. Conſiliario, & ſuæ Majeſtatis Oratori & Commiſſario in Curiâ Romanâ : D. Ioannes Carondeletus Archiepiſcopus Panormitanus, Cancellarius perpetuus Flandriæ, eiuſdémque Imp. Conſiliorum Belgicorum *Præſes Primarius, ſuâ impensâ tranſlatis oſſibus in hoc ſacellum ab ipſo Ferrico priùs conſtructum, hoc Monumentum fratri bene merito, cui in dictâ Abbatiâ ſucceſſit, poſuit & dedicauit : Obiit anno M. D. XXVIII, die XXVII Iunij, ætatis ſuæ anno L V.*

LXXXV.

LXXXIV.

PETRVS.

PETRVM *à Baumâ* (ea eſt illuſtris apud Burgundos familia) Gebennenſem Epiſcopum, Antonio *de Vergeyo* Coadiutorem datum vidimus, iam inde ab anno
1529. 1529 : is præcedenti anno 1528, ipsâ illâ die menſis Auguſti primâ ; quæ B. Petro diuinitùs vinculis erepto conſecrata eſt ; cùm palàm ſæuiretur à ſectariis in auitæ religionis profeſſores, conſultum ſcilicet ſibi eſſe voluit, ac veritus capiti ſuo, Geneuâ noctis ſilentio clam elapſus, lacu Lemano, in ſuam ſancti Claudij Abbatiam ſe recepit : elapſo inde quinquennio, ne ſuorum oblitus videretur, eóſque, ſi quo modo poſſet, ex hoſtium manibus eriperet, Ciuitatem Gebennenſem adire conſtituit, vel cum vitæ diſcrimine : eam cùm ingreſſus eſſet primò Iu-
1533. lij, anni 1533, poſtridie indicta eſt Clero omni ac populo ſupplicatio, quæ & frequens fuit, &, quod pro eo tempore vix credas, ſatis religioſa ; ſecundùm quam dato ſigno de mandato Epiſcopi, Magiſtratus iuxtà, ac populus, pro foribus Baſilicæ ſancti Petri conuenêre : ad eos Bailliuus Dolanus Epiſcopi nomine orationem habuit eloquentiæ pleniſſimam ; quam vt abſoluit, tum verò Petrus *à Baumâ*, è medio virorum Nobilium, atque Illu-

ſtrium

ſtrium cœtu dicere aggreſſus, hoc primùm ex populo ſciſcitatus eſt, num ſe Paſtorem agnoſcerent; quibus vnâ voce ſe verò agnoſcere profitentibus; *Viuite igitur*, inquit, *concordes, & ſtate in antiquâ fide in vos ab Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus deriuatâ*: plura ille in eodem argumento, quibus adeò commoti ſunt vniuerſi, vt è veſtigio præcipui quidã è factioſis hæreticis in carceres coniecti ſint: ſed inualuerat potentiorum ex iis quorumdam impietas: cogitari cœptum eſt de Epiſcopi nece, nocte intempeſtâ tentatæ non ſemel eius hoſpitij fores, ac penè perrupti aditus à ſicariis; adeout, cùm nihil propiùs abeſſe ſentiret Petrus, quàm vt in ſuo ipſe hoſpitio iugularetur, nec vlla ei reliqua ſpes eſſet curandæ præſentiâ ſuâ rei Catholicæ, furori apertíſque inſidiis cedendum putauerit, & Ciuitate excedendum; quod & fecit quamprimùm. Cùm autem anno 1535, 1535.
Geneuenſes abiectâ Catholicâ fide, Caluinianam ſuperſtitionem publicè profeſſi eſſent (cuius infeliciſſimi conſilij triſte monumentum laminã æream, inſcripto ſuo de reformatâ religione profitendâ decreto, ante domus ciuicæ fores poſuerunt) dictum eſt anathema ciuitati, & Dominicâ primâ Auguſti, eiuſdem anni 1535, Epiſcopi auctoritate, per omnes Diœceſis Eccleſias proclamatum, ſimul prohibitum, ne quid commercij causâ importaretur in ciuitatem, neque cum Gebennenſibus commune quidquam haberetur, vt qui eſſent à fidelium communione extorres. De totâ hac tragœdiâ legendus libellus

libellus Gallicus, qui inſcribitur, *Le leuain du Caluiniſme*, ſimplici ſtylo conſcriptus à quadam è Gebennenſi S. Claræ Conuentu piâ moniali, quæ Geneuæ habebat tum, cùm hæc gererentur: prætereáque Florimundus *de Raimond*, lib. 7. hiſtoriæ hæreſeon huius ſæculi, cap. 17: tametſi hic immeritò *Petrum* incuriæ ac ſomnolentiæ notat, quem ob Paſtoris optimi munus in miſerâ illâ ſacrorum euerſione ritè obitum, & egregiam Catholicæ Eccleſiæ operam
1539. præſtitam, Paulus III, anno 1539, Pontif. 6, 14 cal. Ianuarij, creauit Presbyterum Cardinalem SS. Ioannis, & Pauli, tt. Pammachij.

1542. Igitur ſecundo Ianuarij, anni 1542, à calendis Ianuariis inchoati, quarto die ab obitu Antonij *de Vergeyo*, poſtquàm ei parentatum eſt egregiâ pompâ, Franciſcus *Bonuallot* Iurium Doctor, Eccleſiæ Biſuntinæ Theſaurarius, & Canonicus, Commendatarius perpetuus Abbatiæ S. Vincentij, ac Cæſareæ Majeſtis Conſiliarius, nomine Reuerendiſſimi in Chriſto Patris, & Domini D. Petri *à Baumâ*, Commendatarij perpetui Abbatiæ *S. Claudij*, & S. R. E. preſb. Cardinalis, ad dignitatem Archiepiſcopalem Biſuntinam (officio Coadiutoriæ dudum auctoritate Apoſtolicâ ſibi de conſenſu Antonij Archiepiſcopi commiſſæ, per eiuſdem obitum ceſſante) admiſſi, & recepti, repræſentauit literas Apoſtolicas dictæ Coadiutoriæ, & pro D. Petro abſente, Archiepiſcopatus Biſuntini poſſeſſionem accepit, vt moris eſt; *ex actis Capituli Biſunt.* At Petrus iam tum ſenio grauis, impetrauit

petrauit à ſummo Pontifice bullas deputationis in Adminiſtratorem, & prouiſionis Archiepiſcopatus, in fauorem Claudij *à Baumâ*, ſui ex fratre Nepotis, datas Parmæ, 5 cal. Iulij, anno 1543, quibus Carolus 1543.
V Cæſar adiunxit literas ſui conſenſus, 2 Aug. eiuſdem anni 1443: ac paucis poſt menſibus, nempe 4 Maij, 1544, obiit Petrus *Arboſij*, ibidem ſepultus in 1544.
eccleſiâ S. Iuſti, prope *Claudium* fratrem ſuum, Equitem Velleris aurei, & Burgundiæ *Mareſchallum*. Vtrũque malè plerique ſepultum dicunt *Ignyaci*, deluſi fortaſſe ex eo, quòd illud eccleſiæ S. Iuſti Arboſienſis, in quo iacent, ſacellum, *capella Ignyacenſis* (ſicut alicubi ſcriptum legimus) appellaretur.

LXXXV.

CLAVDIVS III.

DEFVNCTO *Petro*, Canonici Biſuntini, quos latebat ius Claudio *à Baumâ*, ab Apoſtolicâ Sede conceſſum, Franciſcum *Bonvallot*, in Archiepiſcopum elegerunt, 16 die eiuſdem menſis Maij, anni 1544. Prouocatum vtrimque ad Pontificem, & Cæſarem: ac 24 Sept. 1544, admiſſus eſt à Capitulo Adminiſtrator Ar- 1544.
chiepiſcopatus ſtante lite, inter Claudium & Franciſcum electos, Iacobus *du Res*, Decanus ſancti Petri Inſulani, à Carolo V Imp. & Mariâ Hungariæ Reginâ ad id muneris deſignatus: ita demum aliquo

poſt tempore tranſactum eſt, vt Franciſci eſſet Adminiſtratio Archiepiſcopatus, cum parte tertia prouentuum, ad vſque tempus, quo Claudius vigeſimumquintum ætatis annum compleuiſſet; eaque tranſactio auctoritate Apoſtolicâ confirmata, Veſontione publicè proclamata eſt, adſtantibus, *Claudio* Archiepiſcopo, & *Franciſco* Adminiſtratore, ac multis Baronibus, & illuſtribus viris, die 8 Septemb.
1545. 1545: quâ die Canonici Biſuntini Claudium *à Baumâ* ſolemni ritu in Sedem Archiepiſcopalē deductum, dato oſculo pacis, & exactis de more Sacramentis, in Archiepiſcopum ſummâ omnium conſenſione admiſerunt: ſed tenerioris cùm eſſet ætatis, quàm vt id muneris ſuſciperet, datus eſt *Antonio Lullo* Theologo liberalibus excolendus diſciplinis, dum penes Franciſcum eſſet Adminiſtratio, prout con-
1548. uentum erat: quâ pendente, anno Domini 1548, *Ioannes Chuppin*, Canonicus S. Mariæ Magdal. Biſuntinæ, digitum indicem dextræ manus *S. Vernerij*, clariſſimi apud Treuirenſes Martyris, cum parte ſudarij eiuſdem, ex oppido Baccaracenſi Treuirenſis Diœceſis, ad Eccleſiam S. Mariæ Magdal. detulit, ex *Ioannis* Treuirenſis Electi, & *Friderici* Comitis Palatini licentiâ: tum Biſuntini viticolæ, magna pars plebis, bonis auibus *ſanctum Vernerium* ſibi patronum cooptarunt, ac ſub eius nomine & patrocinio, pia ſodalitas erecta eſt in dictâ S. Magdal. Eccleſiâ.
1556. Anno 1556, 3 Aprilis conuenerunt in Capitulum Biſuntinū Franciſcus *à Baumâ*, Comes *de Mont-reuel*, & fra

& frater Claudij Archiepiſcopi; Girardus *de Rye*, Eques, Dominus *de Balançon*; & Dominus Abbas *de Roſieres*, Procuratores Claudij *à Baumâ*; ac propoſitâ conuentione olim factâ declararunt, per Claudij ætatem ceſſare ex tunc Adminiſtrationem D. Franciſco *Bonvallot* conceſſam: quod ipſemet præſens agnouit, & Adminiſtratoris officium vltrò abdicauit: obiit deinde anno 1560, ſplendido tumulo conditus in ſacello quodam S. Stephani, hac Epigraphâ: 1560.

Reuerendiſſimo in Chriſto Patri D. Franciſco Bonvallot, Adminiſtratori quondam Archiepiſc. Biſont. Abbati, ac D. Luxouien. S. Vincentij Biſuntini, & S. Mariæ Parci in Siciliâ, Theſaurario ac Canonico huius Eccleſiæ: Item Caroli V Imp. Auguſt. & Philippi Caroli Auguſt. F. Hiſpaniarum Regis Catholici à conſiliis Status rerum Burgundicarum, & libellorum ſupplicum Curiæ Magiſtro; qui ampliſſimis per Galliam, aliáſque prouincias legationibus, Caroli V Imp. iuſſu, ſummâ cum laude functus, de religione, & republicâ optimè meritus, graui demùm morbo ex aſſiduis laboribus contracto, non ſine magno ſuorum, bonorúmque omnium luctu deceſſit, XV cal. Ianuar. anno poſt Chriſtum M D L X. Domina Nicola Bonvallot, D. de Granuellâ ſoror, fratri chariſſ. moriens poſuit.

Anno 1557, Ioannes *Blanche-teſte*, ciuis Biſuntinus ædificauit, & conſecrari curauit ſacellum, in honorem *S. Annæ*, Veſontione, ſecundùm viam Iuſſani monaſterij, nunc *Minimorum*: ex *Epigraphâ*. 1557.

Anno 1566, 8 Febr. Claudius *à Baumâ* declarauit 1566.

Capitulo, velle ſe quamprimùm adire ad limina Apoſtolorum, cum *Antonio Lullo*, Vicario ſuo generali;eam ob rem Eccleſiæ ſuæ regimen obtulit Franciſco *de Grandmont* Maiori Decano, qui conſenſu Capituli illud ſuſcepit: at Româ reuerſus Claudius
1571. anno 1571, cum Ciuitatem Biſuntinam ingreſſus eſſet die Octobris primavigeſimâ, tertiâ poſt die, Octobris 24, Miſſam ſolemnem in Metropolitanâ ſancti Ioannis Baſilicâ, Pontificiâ Majeſtate celebrauit, & ſacroſanctæ Tridentinæ Synodi decreta, magno omnium ordinum concurſu promulgari curauit,futura ſcilicet propugnaculi inſtar,aduersùs imminens (nî Deus auertiſſet) hæreſeos malum:
1575. anno quippè 1575, die 21 Iunij, hæretici Biſuntinam Ciuitatem ſubito conatu adorti (quâ de re pluribus parte primâ) magnum ciuibus terrorem incuſſerunt; in quibus propulſandis, vt totius ciuici Magiſtratus,& Franciſci *de Vergeio*, Comitatus Burgundiæ Gubernatoris, qui tunc Veſontione; ſic & Claudij *à Baumâ* egregia enituit vel prudentia, vel fortitudo: quâ de re cùm accepiſſet Gregorius
1578. XIII, anno 1578, Pontif. 6, die Veneris, 9 cal. Martij, cùm quintò Cardinales eligeret, abſentem Claudium *à Baumâ*, Romæ creauit Preſbyt. Cardinalem S. Pudentianæ, *tt. Paſtoris:* cuius tituli memor Claudius, & Paſtoritij muneris, Romanam Curiam non adiit, ne in tantis Galliæ ac Germaniæ tumultibus, & hæreticæ impietatis,quæ per ea tempora quaquauersùm ſpargebatur, periculis,ſuo ipſe gregi

gregi deeſſet: in eâque curâ tamdiu perſtitit, donec anno 1584, die Iouis, 14, Iunij, Paſtoris officio ſimul 1584.
& vitâ ceſſit, Arboſij, quo loco ſepeliri voluit, in Eccleſiâ S. Iuſti, propè Claudium parentem ſuum, Equitem velleris aurei, & Mareſchallum Burgundiæ, ac Petrum *à Baumâ*, patruum ſuum, Cardinalem, & Archiepiſcopum Biſuntinum.

His annis ferè quadraginta, quibus præfuit Claudius, quatuor habuit Biſuntina Eccleſia Archiepiſcopi Suffraganeos; Franciſcum *Symard*, de quo ſuprâ, qui obiit anno 1554, & fuerat Epiſc. *Nicopolitanus*; Franciſcum *Richardot*, Epiſcopum quoque *Nicopolitanum*, inde, vſque ad annum 1557, quo creatus eſt Epiſc. Atrebatenſis, eíque ſuffectus in Officio Suffraganeatus Biſuntini Nicolaus *Garin* Prior major Monaſterij, & Abbatiæ *Cariloci* ordin. Ciſtertienſis: cui deinde ſucceſſit Ludouicus *du Tartre*, Profeſſor in Academiâ Dolanâ, Abbas *Bellæuallis*, & Epiſc. *Nicopolitanus*.

LXXXVI.

ANTONIUS II.

CLAUDIO ſucceſſit Antonius *Perrenotus*, dictus *Cardinalis Granuellanus*: is Veſontione natus Nicolai Perrenoti, Domini *à Granuellâ*, Burgundi, viri domi, ac foris clariſſimi, & Caroli V Imp. Cancellarij filius, primùm

mùm in literarum otio, tum in publicis rebus verſatus, ſeptem linguarum cùm eſſet peritiſſimus, tantâ fuit animi vi, vt (quod fertur de Iulio Cæſare) quatuor nonnunquam, aut quinque ſcribas, de arduis reip. negotiis vario idiomate dictando fatigaret: Canonicus primùm Biſontinus, Abbas Atrebatenſis, & Protonotarius Apoſtolicus; à Capitulo
1532. Biſuntino, anno 1532, 5 Martij receptus eſt Archidia-
1539. conus *de Grayaco*; deinde anno 1539, ciuitatis Atrebatenſis electus Epiſcopus, in Tridentinâ Oecumenicâ Synodo (ad quam vnâ cum patre, à Cæſareâ Majeſtate miſſus Legatus conuenerat) orationem habuit eloquentiæ plenam, de quâ Paulus Iouius hiſt. lib.45.

Commendatus poſteà Capitulo Biſuntino à Pau-
1541. lo III, datis in eam rem literis 17 Febr. 1541, ad Maioris Cantoris dignitatem, è quatuor in Metropolitanâ eccleſiâ præcipuis vnam, (quam nunc obtinet Illuſtris ac Reuerendus D. Claudius *de Bauffremont* Abbas Balernenſis, eccleſiæ Biſuntinæ magnum decus) poſt Franciſcum *de Palude* electus eſt, anno
1542. 1542, 18 Octobris.

1554. Anno 1544, ad Cæſaris ſecreta conſilia adſcitus, ad Franciſcum primum Francorum, & Henricum VIII Anglorum Reges deſtinatus eſt Orator, qui de pace ageret: de quâ etiam, eiuſdem Caroli V no-
1555. mine dicturus, anno 1555, ad celebrem illum conuentum prope *Caletum* ſe contulit.

1559. Anno 1559, menſe Iulio, in comitiis Gandauenſibus,

ſibus, à Rege Philippo II Hiſpanias petituro indi-
ctis, Regis ipſius nomine orationem habuit, de quâ
Michaël ab Iſſelt, in hiſtoriâ ſui temporis: quo etiam 1559.
anno, ſimul ab eodem *Philippo* Rege in Hiſpanias
diſcedente, *Margaritæ* Auſtriacæ eius ſorori, Belgarum Gubernatrici, *Octauij* Parmæ & Placentiæ Ducis coniugi, datus eſt à conſiliis; ſimul conſtitutus primus Mechlinienſis Metropolites, & Antiſtitum Belgicorum caput; quippecui non modò ſex Suffraganei tãquam Metropolitano, ſed duo inſuper Metropolitani (Cameracenſis cum quatuor, & Vltraiectenſis cum quinque Suffraganeis Epiſcopis) vt Primati ſubeſſent: quorum Epiſcopatuum œconomiam, & Epiſcoporum nomina ipſa refert *Michaël Aitſingerus* Auſtriacus, in indice perſonarum Leonis Belgici.

Ad hos honores acceſſit quaſi pro colophone, apex Cardinalatus à Pio IV Pontifice, qui anno 1561, 1561.
4 cal. Martij, Antonium, Presbyterum Cardinalem tt. S. Bartholomæi in inſulâ, mox S. Syluestri, abſentem creauit: quæ purpura, quàm oculos inuidentium perſtrinxerit, quantæ anno 1562, & aliquot 1562.
ſequentibus, in Cardinalem excitatæ per Belgium procellæ, perſequitur *Michaël ab Iſſelt*, in introductione ad hiſtoriam ſui temporis: in vtraque ſcilicet fortunâ probari fortem virum decebat, ſed quem proſpera non extulerat, nec aduerſa proſtrauit: illud certum, nullâ firmiore columnâ ſtetiſſe in Belgio Catholicam fidẽ, quàm *Cardinali Granuellano*,

quem

quem vel eo nomine ſectarij, & auitæ religionis hoſtes, paſſim *Papiſtarum in Belgio Principem* nuncupabant.

1566. A Pio V, (qui anno 1566 Pontificatum eſt adeptus) tranſlatus eſt ad titulum S. Anaſtaſiæ, inde preſb. Card. S. Petri ad vincula tt. Eudoxiæ, conſti-
1570. tutus: à Philippo Catholico Rege, anno 1570, cum Cardinale *Pacieco* electus, vt de fœdere Principum pro bello in Turcas ſuſcipiendo ageret cum Pontifice, & Regni Neapolitani Prorex denunciatus; ac vexillum militare Chriſtiano ritu benedictum (vtpote Legatus quoque Apoſtolicus) *Ioanni Auſtriaco*, ſuſceptæ aduersùs hoſtes nominis Chriſtiani Turcos expeditionis Imperatori, dedit in manus, 19 cal. Sep-
1571. tembris, anno 1571, in eccleſiâ Neapolitanâ Sanctæ Claræ.

Sub Gregorij XIII deinde Pontificatu, relicto Eudoxiæ titulo, & S. Mariæ trans Tyberim aſſumpto, tandem Card. Epiſcopus Sabinenſis creatus eſt.

Notat *Guil. Gazetus* in hiſt. eccl. Belgij, Ioannem *Hanchin*, per ceſſionem Antonij Perrenoti, inunctum fuiſſe ſecundum Archiepiſcopum Mechlinien-
1583. ſem, in vrbe *Tornaco*, penultimâ die Octobris, 1583:
1584. ſequenti verò anno 1584, 25 Iunij, electus eſt Cardinalis Granuellanus à Capitulo Biſuntino, ad Biſunt. Archiepiſcopatum, vacantem per obitum Claudij *à Baumâ* Archiepiſcopi, 14 die eiuſdem menſis Iunij, è viuis ablati.

Interim Cardinalis, qui pro ſuâ dignitate & meritis,

ritis, ad ſplendidiſſima quæque munia adhiberi ſolebat, intereſt Madriti, eodem anno, 12 Nouembris, inaugurationi Philippi III Hiſpaniarum Regis; vbi ſuæ Majeſtati, Euangelium & pacis oſculum præbuit; Sacro verò finito, Principem ad ſummum altare manu deduxit, atque ibi à Cardinali Toletano, ſacramento Confirmationis munitum, ſacróque oleo perunctum, ad priorem locum reduxit. 1584.

Ineunte porrò anno 1585, 7 Febr. Veſontione adfuit Iacobus *à S. Mauritio*, maior Archidiaconus eccleſiæ Biſuntinæ, qui Cardinalis Granuellani nomine poſſeſſionem Archiepiſcopatus adiret, conſuetis ritibus in Metropolitanâ S. Ioannis baſilicâ peractis: ſed Biſuntinis Paſtore ſuo frui non licuit; quippequi, cùm Siciliæ Prorex, & conſilij rerum Italicarum ſummus Præſes à Rege Catholico declaratus, Cæſarauguſtæ in nuptiis *Caroli Philiberti* Sabaudiæ Ducis, & *Catharinæ Philippi II*, Hiſpaniarum Regis filiæ natu maioris, eodem anno 1585, ſexto Idus Martij, ritus Matrimoniáles celebraſſet; ſequenti anno 1586, 11 cal. Octobris, obiit Madriti in Hiſpaniâ, annos natus 72: eiúſque corpus in *S. Philippi templo* apud Eremitanos S. Auguſtini depoſitum, ac Veſontionem poſteà tranſlatum, apud Carmelitas, (malè nonnulli, in Metropolitanâ) in oſſuario familiari, iuxta patris Nicolai Perrenoti oſſa, qui 6 cal. Septembris, anno 1550, ætatis ſuæ 64, Auguſtæ Vindelicorum è viuis exceſſerat, conditum eſt.

1585. (beside "Ineunte porrò anno 1585")
1585. (beside "liæ natu maioris")
1586. (beside "1586, 11 cal. Octobris")

De tanto viro (cuius proſequendis rebus vix iuſtum

ſtum volumen ſufficiat) plura *Ioan. Antonius Petramellarius* in continuatione Onuphrij, *Michael ab Iſſelt* in hiſtoriâ ſui temporis, *Fuluius Vrſinus* in epiſt. dedicatoriâ ad ſelecta Polybij, *Molanus* item in dedicatoriâ notarum ſuarum in Vſuardi Martyrologiū, *Aubertus Miræus* in elogiis Belgicis, & alij qui huius æui hiſtorias Belgicas atque Hiſpanicas proſequuti ſunt.

LXXXVII.

FERDINANDVS.

POSTRIDIE quàm animam exhalauit *Cardinalis Granuellanus* Archiep. Biſuntinus, dedit *Philippus II*, Rex Catholicus ad Capitulum Biſuntinum literas, quibus monebat de obitu Cardinalis; ſimul rogabat, cùm ſibi Paſtorem adſciſcerent, qui vitæ integritate ſuis præluceret, & Franciſcum *de Grandmont*, Maiorem Decanum cōmendabat.
1586. mendabat. Iis ergo literis, tertiâ die Octobris, 1586, publicè in Capitulo recitatis, prænominatus Franciſcus *de Grandmont*, in Archiepiſcopum electus eſt, die vndecimâ eiuſdem menſis. Sed adfuit paulò poſt eodem anno, & menſe, à D.Ferdinando *de Rye*, tunc Priore S. Marcelli, qui nomine ipſius, Capitulo Biſuntino exhiberet bullas Apoſtolicas Sixti V, quibus conſtabat, dictum D. Ferdinandum *de Rye*, auctori

ctoritate Apoſtolicâ prouiſum eſſe de Archiepiſcopatu Biſuntino, vacante in Curiâ Romanâ, per obitum prædicti Cardinalis, iunctis inſtrumento conſecrationis, & receptionis pallij. Iis exhibitis Canonici, vt par erat, abiectâ priori ſuâ voluntate, *Ferdinandum* in Paſtorem admiſerunt. At Franciſcus *de Grandmont*, maior Decanus, & Abbatiarum *Montiſ-Benedicti*, ac *Fauerniaci* Commendatarius perpetuus, obiit anno 1595, ſepultúſque eſt in naui baſilicæ S. 1595.
Stephani; cui ſtatim ſucceſſit in Decanatu Illuſtris ac Reuerendus, D. Proſper *à Baumâ* Carilocenſium Abbas.

Sedit igitur poſt Cardinalem Granuellanum, & nunc anno 1618, cùm hæc edimus, ſedet feliciter Illuſtriſſimus ac Reuerendiſſimus Dominus, S. R. I. Princeps, Ferdinandus *de Rye*, filius Illuſtris ac Generoſi Equitis D. Girardi *de Rye* Domini *de Balançon*, & D. Ludouicæ *de Longvy* Dominæ *de Villaffans*, Abbas *S. Claudij*, & *Cariloci*, Prior Arboſij, Gigniaci, &c. piiſſimus & humaniſſimus Archipræſul, qui auitæ nobilitatis maxima decora, propriæ virtutis ac pietatis ſplendore illuſtrans, rem Eccleſiaſticam adeò benè curauit, vt plures eo ſedente, quàm multis retrò ſæculis, Religioſæ familiæ tam in Ciuitate, quàm in Diœceſi Biſontinâ receptæ ſint.

Anno 1597, 26 Maij Clerici Regulares Societatis 1597.
Ieſu Veſontione recepti ſunt, quorum induſtriâ & laboribus, auita Biſontinorũ religio ac pietas, felicibus aucta eſt, augetúrque in dies incrementis: à quibus

bus etiam erectæ ſcholę,quæ vel priſcarum municipalium, quibus (teſte Auſonio) præfuit cantatiſſimus ille *Titianus*; vel earum,quas olim laudauit magnus *Petrus Damiani* Cardinalis Oſtienſis, vel aliarum, quæcumque ab Imperatoribus, ab Archiepiſcopis, à Senatu Biſuntino,variâ ætate, variíſque ciuitatis regionibus inſtitutæ ſunt, facilè deſiderium leniant; quippe in quibus, non liberalibus modò diſciplinis iuuenum animi, ſed virtutum maximè ac pietatis ornamentis magno publicæ ac priuatæ cuiuſque rei bono excolantur.

1598. Anno 1598, 4 cal. Aug. Ferrariæ, in ſecreto conſiſtorio, coram Clemente VIII Pontifice Maximo, & Cardinalibus, Ferdinandus pro Sereniſſimo Principe Alberto, Archiduce Auſtriæ, & Gregorij Papæ XIII, Diacono Cardinali, Purpuram & Galerum Cardinal. dimiſit, cùm Albertus Belgicæ Prorex, Iſabellæ Philippi III Hiſpaniarum Regis ſorori, matrimonio iūgi vellet.*Ciacon.in Greg.XIII,& Clem. VIII.*

1599. Anno 1599, Proſpero à Baumâ Maiori Decano defuncto 7 Iunij, ſucceſſit vnanimi Inſignis Capituli conſenſu Illuſtris ac Reuerend. Dominus, D. Fr. *de Rye*, Illuſtriſſimi Ferdinandi Nepos, Monaſterij *Accincti* Ord. Ciſterſtienſis Abbas digniſſimus; cuius præclaræ virtutes, tum in eccleſiâ, in quâ primam obtinet dignitatem illuxerunt, tum maximè in Aulâ Sereniſſimi Principis Alberti,in cuius Capellâ (ad exemplum Hugonis I, antequàm ad Præſulatum accederet, Rodulphi Regis Capellani) iam multis annis

annis,& magno labore deſudauit.

Vno poſtmodùm eodémque anno 1607,recepti 1607.
ſunt Veſontione *Minimi*, è familiâ S. Franciſci *de Paulâ* (quibus Iuſſanum monaſterium, quod *S.Mariam in Biſintiono* vocat Aymoinus lib. 5, cap. 25, olim S. Donati æuo extructum, attributum eſt ad habitandum, & pia quæ ipſorum Inſtituti ſunt, obeunda munia:) & Minoritæ S. Franciſci, vulgò *Capucini*, paupertatis ſanctiſſimæ ſectatores; quos vt Senatus,populúſque vniuerſus, eleemoſynarum largitionibus alendos ſuſcepit, ita Illuſtriſſimus Archiepiſcopus nouis ædibus in campo Martio excitatis donauit: in quibus extruendis, varia ædificiorum rudera reperta, muri ſubterranei hinc inde in tranſuerſum poſiti, & cancellatim fornicati; aquæ item ductus, vetera numiſmata, ac varij marmoris fruſta; quæ omnia inſignem antiquarum ædium ſplendorem referebant: ſed hæc, quòd propè quotidiana ſunt apud Biſontinos, non fuêre ipſis admirationi: at illud mirum contigit, vt fundamentis Eccleſiæ funiculo vtrinque deſignatis, cùm fodiendo ad tertium circiter cubitum peruentum eſſet, iacta iam olim firmiſſima,atque optimè materiata fundamenta, & ſacro illi ædificio quaſi cœlitùs reſeruata occurrerent.

Anno 1608, die S.Pentecoſtes,25 Maij,in Eccleſiâ 1608.
antiquiſſimi Monaſterij B. M. Virginis *de Fauerné*, (Aimoinus loc.cit.anno Chriſti 870,*Fauerniacum* vocat) ord. S. Benedicti, Diœceſis Biſontinæ; cùm in-

dulgentiarum tunc conceſſarum cauſâ, Sanctiſſimũ Euchariſtię Sacramentum in duabus hoſtiis ipsâ eâdem die conſecratis, argenteo Reliquiario vnius ad minimum marcæ incluſum, de more populo propoſitum fuiſſet: contigit, vt igne, quo fato neſcitur, accenſo, mensâ ligneâ, gradu, Tabernaculo, mappis, & aliis ornamentis abſumptis, ſuppoſitóque marmore humi fracto, Reliquiarium graue, & metallicum cum duabus incluſis hoſtiis non modò illæſum, ſed etiam in aëre ſuſpenſum, abſque vllo ſuſtentante corpore ſolido, remaneret; idque per ſpatium triginta trium circiter horarum; vſque ad horam ſcilicet decimam matutinam diei Martis, tertij feſti Pentecoſtes; cùm, vicino quodam Parocho, qui ſolemni ſupplicatione illuc aduenerat, Miſſam celebrante, & ſacratiſſimam Hoſtiam, poſt primam eleuationem demittente, Reliquiarium ex ſe, ſenſim, & leniter deſcendit, rectáque Miſſali codici inſedit, qui corporali contectus(vt cum maiori reuerentiâ exciperetur, ſi fortè decideret) illi cum intermedio ſpatio fuerat ſuppoſitus. Quæ omnia viſa ſunt à quamplurimis inculpatæ vitæ, & integræ fidei teſtibus, quibus per inquiſitores idoneos auditis firmatum miraculum, ad Dei O. M. gloriam & honorem, Eccleſiæ Catholicæ bonum & fidelium conſolationem publicauit Illuſtriſſimus Ferdinandus
1608. Diplomate dato Veſontione 10 Iulij, anni 1608. Hoſtiarum miraculoſarum vna Fauerniaci remanſit: altera, iuſſu Sereniſſimorum Archiducum, Alberti &
Iſabel

Iſabellæ, Burgundiæ Principum, Dolam Sequanorum, maximâ pompâ, cum precibus publicis tranſlata eſt, in feſto S. Thomæ Apoſtoli; eiuſdem anni 1608: cui deinde pius Aduocatorum cœtus, ſub S. 1608.
Yuonis patrocinio Dolæ pridem inſtitutus, ſacellũ ſplendidiſſimum exſtrui curauit, quod anno 1614, 1614.
die 19 Maij, Reuerendiſſimus Ferdinandus ritu ſolemni dedicauit.

Anno 1610, 18 Aprilis, Arboſij, in capellâ S. Cru- 1610.
cis, Ferdinandus aſſiſtentibus Guilelmo *Simonin* Corinthienſi, & Petro *Saulnier* Auguſtodunenſi Epiſcopis, conſecrauit in Epiſcopum Lauſanenſem, Illuſtrẽ ac Reuer. Dominum, D. Ioannem *de Vvateuile*, Monaſterij Charitatis Ord. Ciſtert. meritiſſimum Abbatem, virum vt illuſtri familiâ natum, ſic omnium virtutum ornamentis decoratum, qui ſuum quantumuis exiguum gregem, à luporum imminentium faucibus, ſummâ, quâ poteſt vigilantiâ defendit pius Paſtor; ſimul dies ac noctes cogitans, quibus artibus aberrantes oues ad Chriſti paſcua poſſit reducere.

Anno 1616, menſe Sept. Sanctimoniales Carme- 1616.
litæ, ex B. Matris *Thereſiæ* normâ vitam agentes, rogatu Auguſtiſſimæ Imperatricis *Annæ ab Auſtriâ* (cuius preces delatæ ab Illuſtriſſimo Domino Iac. Ludouico Comite *de Fyrſtemberg*, S. Cæſareæ Maieſtatis ad Biſontinos Legato) decreto Senatus, ciuitate donatæ ſunt.

Ferdinando tres hucuſque fuêre Suffraganei, *Ioãnes Dorotheus* à ſummo Pontifice conſtitutus Suffraganeus

ganeus Biſuntinus, & Epiſcopus *Nicopolitanus*, datis literis Romæ apud S. Petrum, 7 cal. Sept. 1585: quo ad Lauſanenſem Epiſcopatum tranſlato, ſucceſſit *D. G. Simonin*, nunc Abbas S. Vincentij Biſuntini, creatus Archiepiſcopus *Corinthienſis*: poſtremò id muneris ſuſcepit R.P. *D. Claudius de la Barre*, è S. Franciſci familiâ ſacræ Theologiæ Doctor, & emeritus diuini
1616. verbi præco, quem Nouembri menſe anni 1616, Reuerendiſſ. Archiepiſcopus, *Ornaci, Andreuillenſem Epiſcopum* conſecrauit.

Hæc ſunt, quæ de noſtris Archiepiſcopis, déque Antiquiſſimâ Biſontinâ Eccleſiâ, non ſine puluere, ex vetuſtis monumentis eduximus: in quibus ad rectam temporum rationem aptandis, Petri Franc. Chiffletij, è Societate IESV, fratris chariſſimi conſilio, & auxilio vſi ſumus. Epitaphia autem pleraque, quæ in Biſontinis Eccleſiis cõſultò omiſimus, quòd ea cum aliis Sequanicis D. Guillelmus Belotus IC. Ledonenſis, in eorum gratiam, qui talibus delectantur Epigraphis, breui, vt ſperamus, ſit vulgaturus.

FINIS SECVNDÆ PARTIS.

PLAVTVS IN PERSA. Act. 4.

SA. *Quid id quod vidiſti, vt munitum muro tibi viſum'ſt oppidum?*

VIRGO. *Si incolæ benè ſunt morati, pulchrè munitum arbitror.*

Perfidia & peculatus ex vrbe, & auaritia ſi exulant;

Quarta inuidia, quinta ambitio, ſexta obtrectactio,

Septimum periurium. TO. *euge.* VIR. *octaua indiligentia,*

Nona iniuria, decimum quod peſſimum aggreſſu ſcelus:

Hæc niſi, vndè aberunt, centuplex murus rebus ſeruandis parum eſt.

INDEX RERVM
MEMORABILIVM
Secundæ Partis.

A

ABBATIA S. Viti. 176
Abbates S.Stephani. 195.196
Achardus primus Abbas S. Vincentij. 130
Adonus Prior Luxouienſis coadiutor Archiepiſcopi Biſontini. 170.171
S.Agapiti caput. 105
eius inuentio. 196
S. Agapiti capella cœmeterium Archiepiſcoporum. 97.115.305.306
S. Agapitus miraculo ſanat Archiepiſcopum Biſont. 188
Aldalſinda monaſterij *de Battant* prima Abbatiſſa. 155. 156
Altaris S. Ioannis Euang. conſecratio per Eugeniũ III Papam. 242
Altaris S.Stephani conſecratio per S.Leonem IX Papam. 205. roſa in eo conceſſa. 207.208
Altaris monaſterij *de Roſieres* conſecratio. 256
Altepetrenſis Eccleſia Cluniacenſibus conceditur. 238
Amalgarius Dux Burgundiæ. 155
S.Anatholij Salinẽſis Eccleſiæ reædificatio.192.ibid.
Canonicæ inſtitutio. 193
eiuſdem releuatio. 268
S.Aniani depoſitio. 49. tranſlatio. 52
S.Annæ ſacellum. 315
S.Antidij viſio. 72. iter Romam. 74. martyrium. 77. 90. miracula. 86. 87. 88. 89. Tranſlatio Ruffaco Veſontionem. 91. 92. eius hiſtoria comprobatur. 93.94. 95. Releuatio. 287
S. Antonij Xenodochium. 300

Aquæ

Aquæductus Biſont. 35.36. 107.284
Archidiaconorum quinque in Eccleſiâ Biſontinâ ordinatio. 162
Archiepiſc. Biſontinus dignitatė clarus. 85. nulli primati ſubeſt. 99

B

Baptiſteria in Eccleſiis Biſontinis quãdo inſtituta. 163
Baptiſterium S.Lini. 15
Monaſterij *de Battant* fundatio, reformatio, reliquiæ. 156.157
Baudulphus miles S. Nicetio infenſus. 125
Bellipratenſis Eccleſia. 282
Bernardus Gebennẽſis Epiſcopus viſitat Eccleſiam Biſontinam. 255
Bernonis Cluniac. Abb. ordinatio. 174.178
Beſuenſis cœnobij fundatio. 155
Bethania cœnobium. 247
Bonifacius Anglus Biſontinam Eccleſiam luſtrat. 168
Brachium S. Stephani furto ſurreptum miraculosè reperitur. 133. 134. in altari S.Stephani reconditur. 109.209
Brachium S. Stephani Veſontionem mittitur. 101. miraculo ſanguinem emittit. 103
S.Brigittæ ſacellum. 23. Xenodochium. 300
Brunechildis Regina Biſontinam Eccleſiam reædificauit. 128
Burgundiæ Comites octo ſepulti in S. Stephani eccleſiâ. 252
Calixtus II. Papa patriâ Biſontinus. 185
Camborniacenſis Eccleſia, Bellęuallẽſibus datur. 142
Canonici ad monaſterium S.Pauli vitæ ſtrictioris ergò ſe conferebant. 167
Canonicorũ deprauatio ſub Felice. 166.167
Canonicorum S. Ioannis & S. Stephani de maternitate contentio. 37. 238. 262. Eccleſiarum vnio. 273
Canonici ſeptem S. Stephani olim Cardinales. 205. 206.207
Capella S. Iuſtini de Camburniaco. 187
Capucini Ciuitate donati. 325
Carmelitarum Religioſorũ conũentus fundatur. 291

Carmelitæ Sanctimoniales ciuitate donantur. 327
Carolus Caluus Imp. Veſontione tranſit, & S. Vincentij reliquias donat. 181
Caſtrum Caroli Abb. 181
Chronicum Antiſtitum Biſont. quis primus ſcripſit. 165
Clariſſarum domus. 293
S. Claudij vita. 139
Clerici Regulares Societatis IESV Veſontione admittuntur. 323
Cœmeterium pro Eccleſiâ. 32
B. Coleta Veſontione. 293
S. Columbanus Veſontione 122. reos miraculosè è carceribus educit. 124
Columnæ montis Cœlij. 15. 16
Comites octo Burgundiæ ſepulti in S. Stephani. 252
Confratria corporis Chriſti in S. Petri cõfirmatur. 291
Conradus Dux Bauariæ poſtulatus in Archiepiſcopum Biſontinum. 261
Conſtantij perſecutio. 41
Conſuetudo aſſidendi in locis ſacris damnatur. 216
D
DÆmones humanâ ſpecie viſi in ſynodo Æduenſi. 225
S. Deſiderati tranſlatio, ſarcophagus. 56. 57
Dolanæ Eccleſiæ prima ædificatio, & propter eam contentio. 240
Dolanæ Eccleſiæ lapis primarius ponitur. 306
Dominicani Veſontione recipiuntur. 258
S. Donatus miraculo naſcitur. 151. eius Eccleſia Veſontione. 161
E
ECcleſia B M. Virginis de fonte excitatur. 292
Eccleſia S. Martini de Tarceniaco. 183
F. Elias Franciſcanus ſepultus Veſontione. 281. 282
Eliphius Tullenſis Martyr. 45. 61
SS. Epiphanij & Iſidori releuatio. 283
Epiſcopi Gallici decem miraculosè conueniunt Veſontione. 102
Eponenſe Concilium, duplex. 117. 118
S. Ermenfredi cranium. 260
Euſebius Vercellenſis Epiſc. 43. 46
S. Eugendi Monaſterium. 144

Fabæ

F

FAbæ olim apponi ſolitæ in anniuerſario Hugonis I. 221
SS. Ferreolus & Ferrucius Veſontionem mittuntur. 17. Eorum viſio mirabilis 18. Martyrium. 20. 21. 22. 23. tempus 24. 25. 26. 27. 28. Inuentio corporum 46. 47. 48. inſigne miraculū. 49. 50. Tranſlatio. 117. collocatio in capsâ ligneâ deauratâ. 272. 273. in capsâ argenteâ. 307
SS. Ferreoli & Ferrucij villa. 61
SS. Ferreoli & Ferrucij Eccleſia. 48
Flauia S. Donati mater. 151. 154. 155
Fridericus I. Imp. Schiſmaticus. 246
Franciſcani Ciuitate donantur. 265

G

GAlla Patricia. 105. 106. 107
Gaufridus Archiep. ſubmergitur. 269
Geneuenſes Catholicam fidem abiiciunt. 311
S. Germani Martyrium. 58. 59. 60
Germanus Altiſſiodorenſis Veſontione. 100
Golliani Monaſterij fundatio. 257
Grandiſons oppidum. 58. 59
Guido Archiepiſc. Biſont. hō fuit Papa Calixtus II. 185
Guilelmus Comes Burgundiæ Pater Hugonis III. 229
Guntranni Regis ſomnium. 64. 65

H

HÆretici Veſontionem aggreſſi propulſantur. 316
Halinardi Archiepiſc. Lugd. conſecratio. 204
Helena Conſtantini mater Veſontione. 34. 35. mittit Dalmaticam cum parte ſanguinis S. Stephani. 38
Herberti Schiſmatici miſer interitus. 248
Henricus de Balmâ. 293
S. Hilarius Arelatenſis Veſontione. 99. 100
Hugonis Abb. Cluniac. conſecratio. 209
Hugonis primi diploma inſigne quod teſtamentum vocant. 199
Hugo primus in Synodo Remenſi miraculosè obmutuit. 210. adeſt inūctioni Philippi I Francorum

 Regis

Regis. 211. ſibi ſepulcrum viuens parat. 215. 222. 223. 224
Hugo II. ſuſpenditur ab officio. 216
Hugo de Biſontio Epiſcopus Pariſienſis. 284. 285
I
Iacobus Borbonius fit Franciſcanus Veſontione. 296
S. Iacobi Capella in arenis. 281
Iacobus Claræ-vallis Epiſcopus Ebroicenſis obit Veſontione. 303
S. Iacobi Xenodochium. 300
Incendia olim Veſontione frequentiſſima. 286
Inſignis Eccleſiæ Biſontinæ ſtatus. 276. 277
S. Ioannis Baptiſtæ Eccleſia. 30. 162. 163
S. Ioannis Calibytæ caput Veſontione. 284
S. Ioannis Euang. Eccleſia. 32. 35. 36. 42. 96. 97. 175. 176. 220. 289
Ioannes de Vvatteuille Lauſanenſis Epiſcopus conſecratur. 327
Iuliani Imp. tranſitus Veſontione. 43. 44. 45
Iurenſes fratres. 139
Iuſſanum Monaſterium. 154
L
Ledo Vicus: Ledonenſis Eccleſia. 55
Lambertus Lingonẽſis Præpoſitus curatur miraculo S. Stephani, Veſontione. 136. 137.
Landerici Lauſanenſis Epiſcopi conſecratio. 243.
S. Laurentij Eccleſia 97. 212. 213. 214
S. Leonardi Eremus. 279
S. Linus Veſontionem aduentat. 10. baptiſterium conſtituit. 11. deturbat columnam Idolij. 11. fuit ſucceſſor Petri. 12. 13. ſcripſit acta SS. Petri & Pauli, quæ habentur ſincera Veſontione. 14
M
Macarius Epiſc. Hieroſolymit. cõceſſit S. Helenæ reliquias S. Stephani. 38. 39
S. Magdalenes Canonicæ inſtitutio. 212. 213. 214. maioris altaris dedicatio. 281. Chryſmatis cõſecratio. 298
S. Maimbodi Martyris trãſlatio. 183
S. Maiolus Abbas Cluniac. ad ſedem Biſontinam vocatur

catur. 186
Martyres præciſa capita ſæpe geſtarunt. 61
Martyrum Eccleſiæ propè Veſulium fundatio & conſecratio. 234
S. Mauritij Eccleſia fundatur. 51
S. Maximini feſtus dies. 30. ſepultura, ſacellum, eremus. 31
S. Michaëlis Eccleſia pro Recluſo. 279
S. Migetij ante obitum viſio mirabilis. 164
Minimi Veſontione recepti. 154. 325
Miraculum Fauerniacenſe. ibid.
Miſſa trium Euangeliorum. 33
Monaſterium *de Battant*. 156 157. 262
Monaſterium in Colle Dianæ. 97
Monaſteriorum vrbis reparatio. 175
Monaſterium quid Gallis. 138

N

S. NIcetius Archiepiſc. Biſont. eſt alius à Treuirenſi. 127
S.Nicetius Luxouium, Anagrates, & fontanas adit. 121. ſepultus eſt in ſancti Petri. 123. 127

O

S. ODilonis Abb. Cluniacenſis conſecratio. 186. 187
Odonis Cluniac. Abb. conſecratio. 177
Oliuerius Abbas Luxouienſis Vicarius Archiepiſcopi Biſont. 250
Onnaſius Tribunus S. Linũ excipit. 10. 11
S.Othilia virgo Palmæ educatur. 66

P

PAlmẽſis monaſterij fundatio. 61. 63
Palmenſis vrbis inſigne. 63
Pauliacum villa. 182
S. Pauli monaſterium. 152. 153. 178. 194. 197. 198. 201. 226
S.Petri Eccleſiæ fundatio. 33. multi ſancti in eâ ſepulti. 52. 53
SS. Petri & Marcellini ædificatio. 165
Petri Venerabilis conſecratio. 240
S. Petrus Archiep. Tarentaſius. 246
Petrus Damiani iter habet per Veſontionem. 212
S. Protadius librum rituum

conſcripſit. 131. 132. tranſlatio oſſium eius. 132

Q

S. Qvintini Eccleſia. 196. 197

R

Recluſi olim duo Veſontione. 278. 279

Rogerius Epiſcopus Lauſanenſis Diœceſim Biſontinam luſtrat. 249

S. Romanns præſbyter ordinatur. 99

Roſa altaris S Stephani 207. 208

Roſeriani altaris conſecratio. 256. Monaſterij fundatio. 257

Ruffacum vel Ruffeium caſtrum. 80. 88. 91

S

Sanctimariani monaſterij fundatio. 257

Sanguis S. Stephani Veſontione, Biturigæ, Coloniæ, Neapoli. 110. 111. 112

S. Sindon Chriſti Veſontione. 108

Sirudis S. Donati ſoror. 153. 154

S. Spiritus Xenodochium. 300

S. Stephani Eccleſia in ſuperiori parte mõtis inchoatur. 40. promouetur. 41. perficitur. 53. 54. reædificatur. 128. 189 190. 195. fulmine exuritur. 285. 286

S. Stephani Inuentio cur celebretur 3 Aug. 112. 113

S. Stephani miracula Veſontione. 134. 135. 136. 137

Stephanus Bellicenſis Epiſcopus, Vicarius Berengarij Archiep. Biſont. 183

S. Syluestri feſtum & tranſlatio. 51. 52

Synodus habita Rhemis. 158. 159

T

Thebanæ legionis decimatio. 31

Theodoricus II Hieroſolymam proficiſcitur. 249. 250

Trenortiana Synodus. 184. 185. alia nondum à quoquam edita. 238

Tridentinæ Synodi decreta Veſontione publicantur. 316

V

Valcluſenſis Eccleſia. 237

Vvandalenus Dux Burgundiæ, pater S. Donati. 151. 155.

Vvandalorum & Hunnorum perſecutiones apud

autho

authores confuſæ. 68.69
Vvarnarius Comes ſepultus Palmæ. 63.64
S. Vernerij Martyris reliquiæ. 314
Veſontio à Barbaris flammis abſumpta. 174
Vicus Martyrum. 23
S. Vincentius Ferrerius Veſontione. 293
S. Vincentij Monaſterium. 226 227.230.232
S. Vincentij reliquiæ. 181
Viſio SSS. Felicis, Fortunati, & Achillæi. 17.18
Vnio Capitulorum S. Ioannis, & S. Stephani. 273

X

Xenodochia Biſontina. 300.301

FINIS INDICIS II. PARTIS.

uu EXEM

EXEMPLAR APPROBAtionis Dominorum Gubernatorum.

NOs Gubernatores Ciuitatis Imperialis Veſontinæ, quia bene conſtitutæ Reip. ſalutem, & ſecuritatem nouimus, vt malefactorum pœnâ, ſic benemeritorum præmiis, & mercede ſubſiſtere; nec vtilitati publicæ meliùs poſſe conſuli, quàm ſi morum integritate, & doctrinæ gloriâ præſtantibus viris munia publica deferantur. Eapropter, ſolitâ curâ, & diligentiâ Ciuitatis noſtræ incolumitati prouidentes, quia iam indè poſt luctuoſam mortem Nobilis, & eruditiſſimi Domini Ioannis Chiffletij Collegæ, & Archiatri noſtri, valetudinis publicæ præfecturam vacuam eſſe perſpeximus: Ideò ne peſtilentiæ fortè, aut popularium morborum graſſante ſæuitiâ, tam neceſſarij muneris inopiâ laboretur; Nobilem, & eruditum virum D. Ioannem Iacobum Chiffletium, non patriâ modò, ſed propriâ quoque virtute clarum & commendabilem, eiuſdem dignitatis apice, & Archiatri Biſontini titulo, præſenti diplomate declaramus. Quo quidem munere prædictum D. Ioannem Iacobum Chiffletium tanto cenſuimus eſſe digniorem, quia Patris amiſſi detrimētum artis medicinæ multâ peritiâ, & labore penſet, ſuúmque erga Ciuitatem noſtram ſtudium, & amorem ipſis rerum documentis obſequiíſque pluribus comprobarit. Nos igitur tum & Patris, tum ipſius

ipſius meritis, atque virtutibus, pio, & æquabili voto ſuffragantes, eumdem Dominum Io. Iacobum Chiffletium, Ciuitatis noſtræ Biſontinæ Archiatrum eligimus & pronuntiamus; itavt omnibus prærogatiuis, immunitatibus gaudeat, quæ Diuorum Cæſarum conſtitutionibus, & Ciuitatis noſtræ moribus, atque inſtitutis primariis Medicis, ſiue Archiatris conceduntur, & anteà præſtita, in poſterum competitura ſunt: Intellecturis omnibus hanc præterea dicto Domino Ioanni Iacobo Chiffletio Archiatro à nobis dari Prouinciam, vt hoſpitum, peregrinantium, pauperum domos, & Ciuitatis Xenodochia inuiſat, ægris ſubueniat, erigat imbecilles, & cætera publicæ Charitatis officia exequatur, tum vt medicantium & Circulatorũ hominum, ſi quando hác in Ciuitatẽ aduenerint, peritiã, & profeſſionem, poſt impetratum à nobis mandatum, exploret; vnguenta, medicamina, cæteráſque merces expendat, nec ipſorum quiſquam in publicum vendere, aut menſam exhibere poſſit, quàm (ex noſtrâ expreſsâ cõmiſſione, & decreto) prædicti Archiatri noſtri examine, & habitæ ad nos relationis fide approbetur. Inſuper librum prædicti Archiatri noſtri, cui Titulus VESONTIO, hoc eodem diplomate approbamus; quia nihil in eo Reipublicæ, aut bonis moribus contrarium inuenimus, ſed digniſſimum qui prælo mandetur communi voto cenſuimus. In quorum omnium fidem, & indubitatum teſtimonium præſentes literas ſigillo noſtro, & Secretarij noſtri

uu 2 ſyngra

ſyngraphâ muniri mandauimus. Actum Veſontione, Calendis Martiis, anno Chriſtiano, milleſimo ſexcenteſimo decimo quarto.

D. GALIOT.

APPROBATIO THEOLOGORVM.

EGo infraſcriptus artium, & Sacræ Theologiæ Doctor, Guardianus Conuentus Minorum Biſontinenſium, attentè legi librum Domini Ioannis Iacobi Chiffletij Patricij, Conſularis, & Archiatri Biſontini, cui Titulus VESONTIO: nec in eo quicquam orthodoxæ fidei, & bonis moribus contrarium reperi. Idcircò luce dignum iudicaui, Veſontione vigeſimo primo Februarij, anno milleſimo ſexcenteſimo, decimo octauo.

FRATER IOANNES CHAPVSOT.

OPus hoc integrum eximij Domini D. Ioan. Iac. Chiffletij, Patricij, Conſularis & Archiatri Veſontini ſummâ, quâ potui, attentione, perlegi; nihilque in eo, aut Catholicæ fidei, aut bonis æquiſque moribus, aut Principibus contrariũ reperi: quinimmò digniſſimum iudicaui quòd mandetur typis, & in lucem, ad communem omnium vtilitatem (præſertim populo acclamante Veſontino) prodeat: ne deinceps lumen hoc tam diu abſconditum, quàm ab omnibus deſideratum lateat. Veſont. è Conuentu

uentu ſacri Ordinis Minimorum, hac luce 7 Martij D. Thomæ Angelico Doctori ſacrâ, anno Dom. Incarn. 1618.

Fr. ANDREAS BAIRD M.
in ſacrâ Theologiâ lector.

OPus hoc Ioan. Iacobi Chiffletij, vt luce, & laude dignum. In prophanis enim author verè Catholicus, nihil à fide Catholicâ & Orthodoxâ alienum dicit: de ſacris ſincerè & verè agit: Ita cenſeo. Actum Lugduni vltimâ April. 1618.

Fr. ROBERTVS BERTHELOT
Epiſcopus Damaſci.

VEſontionis Chiffletianæ alteram partem rerum profanarum, ſacrarum alteram, ſemel iterúmque legendo decurrimus: illam quidem pleniſſimam veteris ac politæ eruditionis: iſtam verò ſinceræ & antiquæ Religionis illuſtribus monumentis refertiſſimam: neutram ab Eccleſiæ Catholicæ pronunciatis vllâ in parte alienam: vtramque auitæ Sequanorum virtuti, & eiuſdem gentis principum Veſontionenſium ciuium gloriæ ad poſteros luculentiùs propagandæ peridoneam: vt neque argumenti dignitas, neque induſtria Scriptoris fraudari publicâ luce diutiùs poſſe videantur. Lugduni Nonis Iuniis CIƆ IƆC XVIII.

PHILIBERTVS MONETVS
de Societate IESV.

uu 3 *PER*

PERMISSION.

VEu les Approbations des Docteurs cy deuant inſerées ; permis à Claude Cayne, d'imprimer le preſent Liure, intitulé *Veſontio*. Auec deffences à tous autres en tel cas requiſes. Faict à Lyon, ce 9. Iuin, 1618.

SEVE Lieut. General.

INDICVLVS ERRATORVM.

OPtabam ſummopere, Lector, vt opuſculum hoc ex autographo meo ſanum tibi prodiret: ſed quia ob præli feſtinationem, mea, quæ memoriter tenebam, raptim relegere, ac mente potiùs, quàm oculis percurrere coactus ſum; præter vitia *ὀρθογραφίας*, irrepsêre contra votum aliquot næui, quos pro tuâ beneuolentiâ expungas precor. Primâ igitur parte pag. 10. lineâ 1, lege *priſcos*: 14, 27, nephriticæ 28, 3, *Catamantaledis*: 35, 18, *tranſtulit*: 71, 17, *de quo*: 83, 9, *caput xxiv*: 86, 2, & 87, 14, *ὁμιατήριον*: 88, 15, *ſine*: 102, 6, *municipum*: 103, 23. *arnis*: 114, 12, *parentes*: 136, 5. *lib*. II 292, 22, *cap*. I, & II: 218, 28, *Stadenſis*.

Parte ſecundâ, pag. 8, lineâ 2, *ſermone* 17: 18, 20, *cenualeſcam*us: 21, 19, *cruciatibus*: 21, 24, *flagellarentur*: 26, 6, *vulsus*: 57, 1, *circumſpectum*: 71, 5, *confortam*: 93, 2, *Sargi*: 104, 28, *præfata*: 131, 3, *myſterium*: 158: 24, *anno* 632: 168, 4. *martyribus Petro*: 180, 13, *Trecenſi*: 202, 23, 1258: 202, 25, 1258: 222, 2 dele *aug*: 253, 23, 1291: 264, 9, *nominetur*. 264. 16, *fuiſſe*: 281, 7, *readificata eſt per*: 291, 3, *d'Athies*: 294, 4, *concionum*: 294, 17, *quem geſſit*: 313, 6, 1543: 335, 24, *mærens*.

A01 1473432